



3 1761 04411 9196





(1104)
Seneca Annaeus, the younger. Tragoediae

Zur

öffentlichen Prüfung der Schüler

des hiesigen

Gymnasiums zu St. Maria Magdalena,

welche zum Beschluss des Schuljahres

am 25. und 26. März

im grossen Hörsaale veranstaltet werden soll,

sowie

zu der Redetübung am 27. März

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Carl Schönborn,

Director, Rector und erster Professor, Ritter des rothen Adlerordens dritter Classe
mit der Schleife.

-
- 1) Observatorium in Senecae tragoediis libellus. Auctore R. Peiper. ^{dolph}
2) Schul-Nachrichten, verfasst vom Director.

508223

8. 6. 50

Breslau, 1863.

Druck von Grass, Barth u. Comp. (W. Friedrich).

PA
6685
P4

Quum autumno anni LXI Vratislauiam uocato mihi tandem contigisset ut codices qui ibi in bibliotheca Rehdigerana asseruantur tragoediarum Senecae perlustrarem atque penitus excuterem, allatus est Luciani Muelleri liber quem de re metrica poetarum latinorum praeter Plautum et Terentium scripsit (ed. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri a. MDCCCLXI). Eum statim arripui, quum de ea re quam ipse modo tractaueram, Oedipi dico et Agamemnonis cantica, sperarem fore ut sanum hominis nostri temporis iudicium audirem. Nam ex quo Hieronymus Auantius Veronensis de carmine iambico trimetro apud L. Annaeum Senecam Tragicum et Georgius Fabricius Chemnicensis de reliquis huius poetae carminum generibus scripsit, nemo extitit qui in metricis Senecae rationibus aliquid studii poneret ante Muellerum. Vix enim digni sunt qui nominentur Grotefendius Bothius alii qui Fabricii prementes uestigia codicum nullam fere habuerint rationem nec tamen alias quas sequerentur rationes in constituendis Senecae carminibus inuenerint. Legendi igitur cupidum non deterruit inhumanum uiri ingenium (uid. pag. 25 146 160 — 144 149 aliosque locos), quo abreptus uiros doctrina subtilitate industria humanitate morum castitate praestantes non est uertus ignominia adspargere: allexit doctrina diligentia sagacitas qua subtilissimas quaestiones uidebam tractatas. Sed spes me fefellit. Quamuis enim permulta de tragoediarum auctore recte disputata et egregie obseruata uiderem, tamen in hanc ueni sententiam subtilem illum in subtilibus quaestionibus hominem carere sensu eo quo is qui carminum Graecorum Romanorumque formam intelligere uelit, non sine maximo damno careat. Et huius quidem rei testimonium certissimum finis est libri primi (quaeritur autem illic „quo interse conexu fuerint iuncta studia poetarum latinorum me-

trica"), ubi adscribuntur „cantica ista suae integritati restituta“ Oedipi 403—15 472—502 709—3, Agamemnonis 589—636 808—66. — Quum autem ipse de his carminibus quaestionem retractarem, in ceterorum canticorum naturam inquirere nisum est. De his igitur quae observaui nouem capitibus complexus sum, decimo denique quum nec otium nec chartae diutius in hac re commorandi ueniam darent, canticorum quae mihi pristina forma est uisa quantum potui breuissime exhibui apposita uera codicum imagine et uulgarium et Etrusci cuius mihi facultatem dudum largita est Ottonis Ribbeckii liberalitas. Quibus uero argumentis fulciri uideatur mea sententia propediem alio loco accuratius et fusius exponam.

OBSERVATORVM IN SENECAE TRAGOEDIIS LIBELLVS.

AVCTORE R. PEIPER.

Metra ea quae minus ad rem nostram pertinent, iambicum trimetrum et anapaestos, omitentes Horatianorum primum metrorum quales sint apud Senecam rationes uideamus (cfr. B. Schmidt c. VIII p. 57 — 73). Sunt autem sapphicum hendecasyllabum cum adonio, glyconeum cum pherecrateo, asclepiadeum primum. iambicorum deinde et trochaicorum, postremo alcaemiorum uersuum et hexametrorum breui perlustrabimus conditionem.

I.

Et *sapphici* quidem uersus constanter habent dipodiam trochaicam ita quidem ut secundus pes semper sit spondeus, et qui sequitur dactylus nunquam, ut quibusdam uisum est, contrahitur in spondeum. caesura autem in omnibus quotquot leguntur uersibus fit post arsin dactylicam.

Sunt tamen uersus qui his legibus aduersari uideantur.

- | | | |
|---|-----------|--|
| a | Hipp. 286 | Quaeque ad <i>Hesperias</i> iacet ora metas |
| | 288 | Si qua <i>Parrhasiae</i> glacialis ursae |
| | Tro. 839 | An ferax <i>uarii</i> lapidis <i>Carystos</i> |
| b | 1054 | <i>Troia</i> qua <i>iaceat</i> regione monstrans |
| c | Med. 636 | Sumere <i>innumeras</i> solitum figuras |
| d | Hipp. 287 | Si qua feruenti <i>subiecta</i> cancro est |
| e | Tro. 824 | Misit infestos <i>Troiae</i> ruinis |
| | 856 | Dum luem tantam <i>Troiae</i> atque <i>Achiuis</i> |
| f | 855 | Mittat et donet <i>cuicumque</i> terrae |

Dubium est enim utrum in his metrica quaedam licentia concedenda sit poetae tragico, scilicet ut in quinque prioribus uersibus dactylum posuerit pro spondeo, in quattuor autem qui sequuntur pro anapaesto spondeum¹⁾, an quod fieri aliquo modo posse in omnibus his exemplis putarunt uiri doctissimi, synizesi atque duplici literarum *i* et *u* ui et potestate adhibita numeri possint erigi.

¹⁾ Digna illa Luxorio licentia non Seneca. cf. Meyeri Anth. n. 334, 5: An *tabulae* melius praemia grata sunt. n. 343, 7: Quo se *Heliconiades* ferunt puellae.

Et primo quidem conspectu nostro iure, quum tot uersus profuderit Seneca integerrimos sapphicos asclepiadeos glyconeos, et hos uersus bonos esse dicemus et secundum firmam constitutamque legem formatos ex eisque potius de synizesis natura fuisse iudicandum quam rationibus prosodiacis temere constitutis uersuum euertendas rationes. Quae enim ex Agamemnone (u. 617 630 809 816 850) ad dactyli contractionem defendendam preferuntur exempla nihil iis probatur, quum adhuc carminum Agamemnonis Oedipique conditio sit obscura. Supersedere igitur possum labore B. Schmidtii (de emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis. Berolini typis G. Lange. 1860) sententiam refellendi quam logicis legibus prorsus neglectis (uid. p. 6 coll. cum p. 72) corruptis maxime illis uersibus fulcire conatur.

(a) Licentiam illam tragicam Senecae obicit Lucianus Mueller p. 164. (cf. p. 259: „nunquam Lucanus et Seneca *i* uel *u* mutarunt in consonam.“ Defendit tamen p. 272 cum Schmidtio p. 13 contra Bothium suapte duobus syllabis pronunciatum a poeta Ag. 250) quibus tamen illa usum esse Senecam demonstrat alia exempla non attulit neque potuit afferre. Similiter Schmidtius iudicat quamquam in aliquot uersibus pronunciatum metricum illud uitium exaequari atque mitigari posse concedit p. 72 non uidens hanc ipsa in re positam esse synizesin neque exclusam illam ueniam ab his *Parrhasiae Hesperiae uirgi*. Sane non extat apud Lucanum *i* et *u* duratum, sed extat illud apud Persium Iuuenalem Silium Valerium Flaccum Manilium Columellam, hoc apud Silium Statium Persium Valerium Flaccum¹⁾. Et uocalis quidem in consonantem mutata superiorem syllabam breuem saepe, non semper, producit, quod quum in quinque quos adscripsimus uersibus fieri inueniamus, in eo etiam inesse praesidium quoddam puto nostrae opinionis.

(d) Consonantem *i* unquam in uocalem solutam negat Schmidtius p. 16. Verum ut primum de *subiecta* dicam: subiciendi formae nisi soluta consonante in uocalem leguntur, uereor ne magnus Ouidianorum uersuum numerus non recte legatur quorum exempla hic habes:

- | | |
|------------|--|
| Met. I 155 | fulmine, et excussit <i>subiecto</i> Pelion Ossae |
| II 68 | Tunc etiam quae me <i>subiectis</i> excipit undis |
| VI 220 | Duraque mollierat <i>subiectas</i> ungula glebas |
| VII 222 | Sublimis rapitur, <i>subiectaque</i> thessala Tempe |
| 399 | Exiguo finxit <i>subiectos</i> sanguine cultros |
| 638 | Graniferumque agmen <i>subiectis</i> spargere in aruis |
| 749 | Collis apex medii <i>subiectis</i> imminet aruis |

quum non offendant subiecta tribus syllabis elatum in hoc:

Met. VII 304 Spes est uirginibus Pelia subiecta creatis

Quodsi non Ouidius ipse ut *j* uerteretur in uocalem instituit, tamen qui postera aetate eius legebant carmina fecerunt quod metrum iuberet et ex analogia atque literae eius natura concederetur.

¹⁾ Exempla collegit Lucianus Mueller p. 256 et Fr. Bockemüller de elisione etc. progr. gymnasii Staddensis 1860, qui de uerbis cum semi compositis idisque multis non recte iudicat.

(f) Discedunt deinde de u. 855 Troadum Schmidtii et Muellieri sententiae, quorum alter p. 13 *cui* semper esse monosyllabum contendit, alter p. 269 Iuuenalis (III 49 VII 211) Martialis (apud quem quater legitur *cui* duabus syllabis) Statii (bis huic duabus syll.) uersibus duabus syllabis *cui* pronunciari posse dicit. Addendum erat *i* illud ab origine simplicem per se fuisse uocalem, sed postea cum *u* pronunciando in diphthongum coaluisse, nihil igitur obstare, quum et posterioris temporis praestent exempla, quominus in Troadum uersu in priorem rediisse statum putemus. Errat autem Mueller, si etiam Ag. 146 *cui* disyllabum esse contendit et elidi uocalem *i* ante uocem quae est *ultima*. Immo ne prorsus debilitetur uox hoc loco plena diphthongo enunciatum mihi uidetur a Romanis sic: *cui* ultima est fortuna, quid dubiam timet?

(e) Restant uersus ei in quibus *Troia* ita positum est, ut nisi tribus syllabis constet, uersus sit claudus. Non eo pertinent haec exempla quo Schmidtius posuit p. 16. Nam in Troiae nomine *i* ab origine non est consonans, sed uocalis quae modo per se poterat pronunciari, modo cum *o* praecedente diphthongum efficere. Nihil igitur impediret quominus in Troadum u. 419 qualis est in uulgatis

Tunc obruta atque euersa *Troia* concidit

cum Daniele Heinsio Troia *τροιβή* legeremus „ne in suas peccet leges Seneca“, nisi in Etrusco esset *quodcumque accidit*. Sed alteram in nostris uersibus adhibuit poeta licentiam, ut corripere etiam contra usum *o* uocalem, cuius rei ueniam ex graeca uoce *Troia* sumpsisse uidetur¹⁾.

Accedunt alia. Minime est credibile contractum dactylum nusquam adhibitum usurpatum fuisse a poeta uersibus duobus sese statim excipientibus (Tro. 855 856 cuiusque Troiae) neque etiam solutum fuisse bis in duobus insequentibus uersibus spondeum nunquam solutum (Hipp. 286 288 Hesperias, Parrhasiae) uiolato statim altera illa sapphico- rum lege (u. 287 subiecta). Non tamen tacere uolo cautius de his uersibus uideri iudicandum, quum nondum sit satis exploratum quae intercedat inter Etruscum codicem et uulgaris libros diuersitas quae ne hoc quidem loco erit neglegenda. Legitur enim in uulgaribus libris²⁾:

Quaeque ad *occasus* iacet ora *seros*

et: Si qua *maioris* glacialis ursae

possit etiam Hesperias natum esse e uoce *extremas*.

Grauius argumentum est quod Mueller recte dicit Senecam aliosque latinorum post Horatium poetarum minus sibi permisisse quam ipsum Horatium (cf. de seuerissima lima

¹⁾ cf. Roeper in Philologo XVIII (1861) p. 363: „Die auflösung Troiae hat ihre analogie in den bekannnten Caius und Achaia, sowie in den von mir Varr. Eumen. II p. 37 nachgewiesenen Seius und peius. Die länge der ersten silbe erklärt sich genügend aus der durch die schreibung Troia bekundeten aussprache, ohne dass man zu dem pindarischen Troia seine zuflucht zu nehmen brauchte, obgleich auch der umstand schon, dass man nicht Troea sondern Troia sagte, ein übergewicht des O-lautes bezeugt. — Seneca Tro. 824 855 in sapph. hendecas. Troiae scheint eine gräcistische neuerung, wofern er sich nicht erlaubt hat, für den dactylus (wie Catull. LV) den spondeus zu gebrauchen. denn auch v. 855 cuiusque terrae dürfte ein versilbiges cuiusque ohne älteres beispiel sein.“

²⁾ Hesperias . . . metas Etruscus, Melisseus, biga Palatinorum. Parrhasiae nullus Palatinorum codicum.

Senecae monometris adhibita p. 147. de trimetris p. 149. clausulam enunciati cum systematum sine euenire p. 238. de hypermetris uersibus p. 182.) quam remeo confirmatam uideo quod quum Horatius etiam post sextam breuem sapphicom fecisset caesuram Seneca constanter fieri eam iubet post quintam syllabam¹⁾.

Neque apud ceteros poetas contractum in sapphicom uersibus logaedicisque metrici inueniunt praeter Catulli c. LXI u. 25 *nutriunt lumare* qui aperte est corruptus et Statii Silu. I 6 16²⁾. De Catullianis hendecasyllabis c. LV quid sentiam, infra exponam. Durari autem apud poetas *i* uocalem passim inuenimus quo syllaba breuis producat. Id aperte factum a Catullo qui quum nusquam hendecasyllaborum basin efficiat tribus syllabis, saepissime iambicam (ut LIII 3 XLIX 1 etc.), carmine LV u. 10:

Camerium quoque pessimum poetam

secundam uocis Camerium syllabam uoluit *i* litera produci. qua in re consentientem uideo Muellerum p. 257.

(b) Supersunt duo uersus, alter ubi *e* uocalis propter metrum cum *a* ita debebat con crescere, ut quam sequuntur breuem reddant longam: *iācēāt*. Eius generis quamquam non prolata sunt ex Senecae tragoediis satis multa atque suspicione libera exempla, tamen res ipsa dubitatione caret ex ceterorum poetarum testimoniis. Sed poterant ex his quoque tragoediis exempla quaedam satis certa afferri.

De Thy. u. 233 nondum satis constat, adscribam quae leguntur in codicibus. Etruscus: fatale *saxeo* pascuum muro tegens. *Saxeo* etiam in nonnullis Commelinianis apparet. aperte ineptum uidetur Muellero, defendit Schmidtus p. 12. Ed. Basil: Fatale *saxeo* pecus muro tegens. In Rehdigeranis 10 11: Fatale *sacro* pascuum more (11: muro) tegens. Vratisl.: f. *sacro* p. *monte* t. Et *sacro* etiam in ceteris uulgatis libris exhibetur.

Minus dubia est emendatio loci Tro. u. 191:

Ite ite inertes. manibus *mēis* debitos

Auferte honores

„quem potest uideri respexisse Quintilianus VIII 3, 25“ (apud quem *mis* recte Zumptius, *miis* Bonnellus scripsit) — cui et Mueller p. 255 et Schmidtus p. 12 adstipulantur. Addo Medeae u. 778 qui uirus *Herculeūm* bibit, ubi *e* et *u* coniunctis etiam syllaba praecedens producat: non enim Senecae condonabimus quod Boetio est permissum (II 7

¹⁾ non igitur uideo quomodo recte miram prauitatem ingenii quod metricas res attinet Senecae possit obicere Lucianus Mueller p. 164. cui uel hoc aduersatur quod dicit p. 245 „Quis credat Annacum in iambicis metris ea insolentia fuisse usum quam ne in dactylicis quidem adhibuerit?“ (quod quam sit falsum exemplorum numero proditur). Neque recte p. 283 idem Senecam cum Horatio comparat: „ita Horatii non idem usus in melicis et satiricis, ita Seneca in choricis longe alia arte utitur quam in diuerbiis“: recte quidem ad synaloephen, sed chorica et diuerbia Senecae omnino non adeo differunt arte quam Horatii carmina et satirae cum epistolis.

²⁾ Statius Silu. I 6 16: *largis gratuitum* cadit rapinis, de quo loco ex metricis legibus prius erat indicandum quam ex prosodiacis, qua de re qui nuper in Museo Rhenano XVII (1862) p. 457 sq. sententiam tulit Guilelmus Schmitzius, recte quidem in uersu Statiano solutam dicit diphthongum, ut sciret uersus, nunquam enim Statius dactylo utitur spondei loco, sed non eandem ille rationem in fortuitus uoce adhibuit quam apud Manilium I 182 soluta diphthongo legendum esse ostendit L. Mueller p. 258. Ceterum praeter ea exempla quae collegit Forcellinus alia nulla comparauit Schmitzius.

Quid Brutus aut rigidus Cato) in tertia sede dimetri iambici anapaestum collocare. Neque dubito HO. u. 102 frustra tentatum ita emendare:

— Vos pecus rapiteocius
 Qua templa tollens *area* Cenaei Iouis
 Austro timendum spectat Euboicum mare.

ubi ara codices, acta i. q. ἀκτῆ Rutgersius, acra Scaliger, ora Bothius. coll. HO. 782 hic rupe celsa nulla quam nubes ferit Annosa fulgent templa Cenaei Iouis. Ag 562 Arx imminet praerupta quae spectat mare Utrisque geminum. Phoen. 67 Hic alta rupes arduo surgit iugo spectatque longe spatia subiecti maris. Ovid. Met. X 86 (XV 298) collis erat collemque super planissima campi Area. Cicero Verr. IV 48 in summo monte est aequata agri planities.

(c) De Medeae autem u. 636, quamvis quotidie discipuli docent in uerbis a *numerus* deriuatis e uocalem pronunciando facile elidi interposito *l* consonanti ut assolet inter *m* et *r*, tamen quum uix tragico digna uideatur hoc synzesis genus, me ualde dubitare confiteor. neque cum similibus locis conuenit hic uersus. cf. Oct. 203 se in formas omnes uertere. HO. 496 Achelous omnes facilis in species dari Tandem peractis omnibus patuit feris.

Itaque hoc excepto ceteros quos attulimus supra uersus ex incorruptis canticis desumptos ex seuera sapphycorum norma formatos contendimus. fortasse etiam Oedipi Agamemnonisque canticorum aliquot sapphicos poterimus defendere:

Te caput *Tyria* | cohibere mitra Oed. 413
 Sidus *Arcadium* | geminumque plastrum Oed. 477 nisi forte fuit Arcadium
 sidus

Sensit *Arcadii* | populator agri Ag. 832

et ferendum esset quod effecit Swoboda Ag. 849:

[Dextera] e *medio* | spoliū feroci
 Magnus Alcides | cui lege mundi Ag. 813
 [Rursus] *Herculeā* | cecidit pharetra Ag. 614 (Ut quondam H. codices.)

Dubitandum est num satis munitum sit sua contractum Agamemnonis u. 250 (suapte): Fraude *sua* capti | caderent Pelasgi Ag. 632. quamquam *u* in *v* durati aliud exemplum fortasse ostendit HO. 981 qui ita mihi uidetur emendandus: et quidquid aliud cessit (ita Etruscus, uulgati restitit) a *beluis* tamen, coniunx, redisti. ubi codices ab illis — Both. a bellis. quam uocem qui etiam Horatio restituere uelit c. I 12 6Gustavus Wolfius Philol. XVIII p. 727 (1862) Orphea *bēlūae* = siluae, non uidit etiam Senecam respicientem illud Horatianum Hf. u. 572 dicere: Quae *siluas* et aues saxaque traxerat Ars, quae praebuerat fluminibus moras, ad cuius sonitum constiterant ferae, et HO. u. 1054: Ad cantus ueniunt suos *ipsis cum latebris* ferae.

Nescio num acciderit casu, quod praesertim in sapphycis carminibus tot synzesis exempla inueniuntur. nam pauca sunt quae ex ceteris metrorum generibus allata sunt. Ex asclepiadeis unum tantum adscribam neque id omni suspitione liberum:

Effugium et liberos | libera mors uocet Ag. 589

Caesuram sapphycorum quum rarissime neglexerit Seneca, uersus tamen carminum istorum Agamemnonis et Oedipi ubi id factum excusationem habent ex nominibus propriis et *que enclitica*:

- - Thermodon¹tiacae cateruae Oed. 481 (Codd. omittunt graues quod exhibent editiones ante cateruae)

- - - Amphioniaque caede Oed. 485

ita enim locum emendauit Iacobus Gronouius in schedis Diezianis. Ophion Cadmi socius neque ab Ouidio neque a Seneca commemoratur, sed Amphionias arces dixit ille Met. XV 427 et egregie Senecae Hf u. 268 Heinsius correxit ita: cinitasque Amphionis ubi codd. fere *atque Ophionius ciuis* aut: *ciuis atque Ophionis*. Poterat Seneca etiam *Echioniaque* dicere, ut uoluit Grotius coll. Ouid. Met. III 126 Echione natus Pentheus.

Conditos reges¹que luemque gestans Ag. 630. ita enim corrigendum uidetur quod traditur codicibus *reges bellumque*.

Patet nullum omnino esse uersum quod legitur in Agamemnone 631

Et licuit uersare dolos ut ipsi.

Licentia alia praeter hanc quam diximus poeta non est usus. itaque synizesis atque diaeresis licentiam libenter feremus.

Restat ut de duobus locis dicam quorum alter quamuis dudum sit emendatus tamen ut olim est editus perperam exemplaribus uulgatur. HO. 1560. *Parcite o diles* inhibete dextas. Florentinus *o duces*. legendum *parcite. audaces* i. d.¹) HO. 1562. Minimum cruentis In tuas urbes licuisse fati. Flor. minus in procellis. fortasse: *minimum procellis* In tuas urbes licuisse fati. Alterius medela iniuria Bothio qui de auctore tacet adscribitur. Utrumque debetur schedis Gronouianis quae Berolini assernantur (ms. Diez. B Sant. 8. n. 154.) Dudum ex Etrusco correctus est Thy. u. 605: cuncta dinitias — cuncta diuinat (*diuinat* uetus exemplar Coloniense) quamquam huc non conuenire illud uisum est Grutero. De HO. 1590 quum non constet quid Etruscus habeat. licet dubitare num uerum repererit Lipsius: *horreat: nulla dominetur aula*. Mihi potius. quum sapphycorum clausulae tradantur libris, lacunae signis positae scribendum uidetur:

Non duces saeuos miseranda tellus

- - - - - habeat nec ulla

- - - - - dominetur aula.

¹) at nunc malim legere: *parcite o. duras* inhibete dextas, coll. Oed. 986. Seruatque suae decreta colus Lachesis *dura* renoluta *manu*.

II.

Haec habuimus de singulis uersibus. Addenda sunt quae de carminum sapphicomum compositione deque adoniis immixtis obseruauimus.

- I. Desunt adonii in his carminibus
- Hf. 830—874 (sequuntur glyconei)
 Hipp. 274—324 (continuatur anapaestis)
 Hipp. 1149—1153 (antecedunt uaria metra, sequuntur trimetri quibus nouus paratur actus.)

II. Adduntur singuli adonii

- a) adonius in fine carminis positus HO. 1518—1606 (finitur actus)
 Thy. 546—622 (finitur actus)
- b) priorem partem carminis claudit adonius: Tro. 1010—56 (1021 adonius. u. 1057 incipit nouus actus).
- c) partem et priorem et posteriorem claudunt adonii Hipp. 736—752 (740 et 752 adonii. sequuntur asclepiadei.)

In his igitur canticis continuantur sapphici nunquam aut raro neque id certa lege breuiore uersu interrupti aut clausi.

III. Composuit tamen poeta etiam carmina strophis iterato sapphicomum numero constantibus quarum unicuique additus est adonius.

a. Tale est carmen quod legitur Med. 579—669 in quo quaternorum uersuum strophas septem sequuntur quinque strophae nouenis constantes uersibus. A uersu denique 652 usque ad u. 669 17 sapphici leguntur uno adonio u. 669 clausi. Versus tamen 660 *Patrioque pendet crimine poenas* mirum quod non docuit metricos turbatam esse hanc chori partem. Inest aperte uersus iste breuior stropham claudens paenultimam numerusque stropharum restituendus is quem quaternariae illae seruarunt. Versibus igitur transpositis ita censeo legendum¹⁾:

661 Fulmine et ponto moriens Oileus
 660 a - - - - patrioque pendet
 660 b Crimine poenas.

¹⁾ Violentius egerunt et Badenius cum Bothio qui quamquam hoc metri genus etiam in Oedipi u. 489 inuenire sibi uisus est, tamen quia hic solum inter meros sapphicos sit positum Ascensianam lectionem „crimini poenas patrio pependit“ praefert, et Lucianus Mueller qui p. 119 l. l. pro uerbis *patrioque pendet c. p.* „aperte (?) glossam continentibus“ substituere uult uelut *crimine amoris*. — In transcurso aliam huius cantici mendam tollere liceat. Legendum est enim ex codicis Florentini uestigiis u. 652 sq.

Idmonem quamuis bene fata nosset
 Condidit *pestis*. Libycis arenis etc. (E *sepi*, uulgares *serpens*.)

Vatem enim quum alii morbo alii apri dentibus alii serpentis morsu extinctum dicerent, Ouidio praeeunte Met. VII 764 quaecunq; mortis causa erat *pestem* dixit poeta.

- 658 Igne fallaci nociturus Argis
 Nauplius praeceps cadit in profundum
 662 Coniugis fatum et q. s.

Sexta nunc stropha ab Idmone ad Oileum ducit, septima a Nauplio ad Pelian. Et deest quidem ultimae strophae adonius, sed totius chori clausula illi subiuncta est constans integro sapphico cum adonio u. 668 669:

Iam satis diui mare uindicastis.
 Parcite iusso.

Quae enim finiunt chorum strophae aut periodi longiores esse propter grauitatem quam quae antecesserunt, alio quoque infra exemplo demonstrabimus (Medeae carmine u. 849—878 anacreonticis composito).

b) Supersunt duo carmina quorum quae genuina fuerit forma quum diu ambigerem, strophica ea quoque fuisse nunc contenderim. Differunt ab eis quae supra perlustrauimus maiore adoniorum numero qui praeterea post paria fere spatia, in periodorum nempe finibus, repetuntur. Chorus ille *Troadum in fine tertii episodii* positus u. 817 — 863 quatuor constat partibus quarum ultimae tantum deest adonius, et partes istae constant praeter adonios 11 9 14 10 sapphicis. Chori natura tot urbes regionesque nullo ut uidetur ordine enumerantis, singulis uersibus nullo fere uinculo cum posterioribus et superioribus coniunctis, perturbationis erat praesidium, qua affectum eum esse ostendunt u. 847 — 853 ubi ex quo uerbo pendeant accusatiui nullo modo intelligi potest, quamquam Doruillius ad Chaitonem p. 707 eos studuit defendere — ait enim „accusatiui et alii casus saepe a remotis uocabulis pendent uel intellectis,“ at hoc loco ne intelligi quidem debet ullum uocabulum, quum toties nominatiuus repetatur nec quidquam lectorem ad infra positum uerbum reiciat. Non dubium est quin ante hos uersus exciderit finis superioris, initium huius strophae. Adde quod omnes partes chori propriam sequuntur legem: prima et secunda pleniore finiuntur loci descriptione, tertiae uersus uocula *au* efferuntur (quae etiam in u. 843 reponenda pro *ac*: An carens nunquam Gonoessa uento Quaeque et q. s.), quartae uersus ex uerbo transitio pendent quod quidem intercidit. Videtur etiam ultimus carminis uersus adonius deesse; quum enim dicant Troades:

Aut quibus terris Hecube uidendam
 Ducet? in cuius moriere regno

desideramus adiectiuum quo Hecubes quae futura sit ibi conditio apte describatur.

Qui ad nostrum tempus hoc carmen enarrarunt non perspexerunt nomina locorum omnia praeter *Peparethum* insulam (taceo de Pisa et Eleusine quas quis non statim cum Elide et Athenis iunxisset imitator Homeri?) desumpta esse ex *Homeri catalogo* l. II Iliadis, quod quum urbium ut ab Homero ita a Seneca coniunctarum nomina comprobant (1) tum etiam epitheta (2) descriptionesque (3) ad Iliadis uerba fictae.

- 1) B 532 Βῆσαν τε Σκάφην. S51 Bessam et Scarphen. B 632 Ἰθάκη Νήριτος Ζάκυνθος cf. 859 860. B 682 Τριχίνα Φθίαν cf. 820 821. B 639 Πλευρώνα καὶ Ἄλιον cf. 829 830. B 536 539 Χαλκίδα Κίερασιον cf. 839—841.

- 2) B 615 *Ἥλιδα δῖαν* 852 *Iouis et coronis Elida claram.* B 649 *Κρήνην ἑκατόμπολιν* 823 *Urbibus centum spatiosa Crete.* B 729 *Τρίκλην κλωματιόεσσαν* 824 *sterilisque Tricce.* B 573 *αἰπειρὴν Γονόεσσαν* et B 606 *ἡμερόεσσαν Ἐνίσπην* (cf. Γ 305 *Ἴλιον ἡμερόεσσαν* et ε' 400 *δι' ἄκρας ἡμερόεσσας*) 843 *carens nunquam Gonoessa uento quaeque formidat Borean Enispe.*

Praecipue ei loci rem probant. ubi ab aliis urbibus iuxta positis ab Homero epitheta mutatus est poeta. Quod factum est u. 831 an maris lati sinuosa Troezen coll. B 561 *Ἐρμιόνην Ἀσίνην τε βαθὺν κατὰ κόλπον ἔχονσαι, Τροίξην Ἥϊόνας τε.*

- 3) Phthiae (S19 S20) descriptio debetur Iliadis uersui A 155 *ἐν Φθίῃ ἐριβόλακι βωτιαεΐρη.* De Prothoi regno (S32) uide B 756 *Μαγνήτιον δ' ἦρχε Πρόθους Τενθρηδόνος υἱός, Οἱ περὶ Πηγεῖδόν καὶ Ἠγῆτιον εἰροσίφυλλον Ναίεσκον.* In Pleuronem (S30) transtulit poeta, quod de Calydone I 533 Homerus dixit: *καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὤρσεν Χωσαμένη* (Homerum secutus est Ovidius Met. VI 415 nondum toruae Calydon inuisa Dianae). De Titareso (S50) uide B 751 sqq. *ὅς ῥ' ἐς Πηγεῖδόν προσεὶ καλίσροον ἴδαρ, Οὐδ' ὄγε Πηγεῖῳ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ, ἀλλὰ τέ μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει ἡῦτ' ἔλαιον· ὄρκον γὰρ δεινοῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορροῶς.*

Quam cum catalogo Homerico comparisonem si recte fecimus, certo pronunciare possumus omnium fere populorum quos Homerus nominat etiam Senecam facere mentionem, non ita quidem ut quas ille primo loco ponat eas urbes hic recenseat, sed ut ex unoquoque populo quae sibi placeant eligat. Nominantur igitur ¹⁾

1.	Locrorum	B 527	Bessa et Scarphe
	Euboeae	536	Chalcis Carystos*
	Atheniense	546	(Eleusis) (Peparethos) Salamis.
	Diomedis	559	Troezen Argos
5.	Agamemnonis	569	Mycenae Gonoessa*
	Menelai	581	Pharis Sparte
	Nestoris	591	Pylos
	Arcadiae	603	Enispe
	Elidis	615	Elis (Pisa)
10.	Ulixis	631	Neritos* Zacynthos Ithaca
	Aetolorum	638	Olenos* Pleuron Calydon
	Cretensium	645	Creta [Gortynen sustulit Gronouius]
	Insularum	671	Calydnae*

Thessaliae denique ex omnibus fere partibus quas Homerus fecit unum aut plures sibi sumpsit locos: adest uersu 681 Phthia et Trachin 711 Iolcos 738 Gyrtone quam restituit Gronouius 729 Tricce 716 Methone* 756 Pelion Prothoi regnum 748 Titaresos flumen.

¹⁾ Quas asteriscis notavi, de eis errauerunt interpretes. uncis inclusi quae non apud Homerum inueniuntur; quas autem in ultima carminis parte congessit Seneca infestas terras literis minoribus significavi.

Tolluntur contentione ita instituta errores quidam de regionibus a Seneca nominatis qui ad nostrum tempus in editionibus extant: *Carystus* non insula una ex Cycladibus, sed Euboeae oppidum, *Gonoessa* in Argolica non in Aetolia est sita, *Neritos* — nam hic quoque error inde a Farnabio vulgatus ab editore Lemairiano stupidissimo homine ¹⁾ est receptus — non Ithacae mons, sed insula, quod, nisi Homeri meminerant, poterat Vergilius docere qui Aen. III 271: Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis. *Olenos* non Elidis illa, sed Aetoliae urbs (B 639). Etiam de *Calydnis* rectius iudicabitur ex Catalogi u. 671 (Echidnae vulgares codd. Calydnæ Florentinus). *Methone* denique ad Pagasaeum sinum est sita, non autem in Messeniorum agro quod dicunt interpretes. cf. Plin. IV 9. Thucyd. VI 7. *Mothone* Florentina est lectio, *Methone* Vratisl. Rehdigerani 10 11 etc.

De Pylo notandum est quod in Florentino codice legi testatur Iacobus Gronovius: *Physon an elmen* „An quia illic Nestor unus tam diu uixit, ideo senilem locum dicam? lege Pylon an Neleam [ita Ovidius Met. VI 418]. Nestoream Pylon dicit in Herc. furente.“ Ita ille in schedis a Bothio meque excussis. nec tamen adscripsi ut lapsus doctissimi uiri reprehenderem, in illis enim sibi scripsit non aliis quae cogitando inuenerat, sed quia putabam ueri aliquid inesse in his uerbis.

Quod Seneca Dulichion cum Echinis B 625—630 Rhodumque 653—670 omisit non est mirum. nam illud cum Elide, haec insula cum eis quae in catalogo Homérico sequuntur aut ei cui succedit, Cretae, poterat coniungi. At mirari me fateor quod Boeotorum Minyum Phocensium nullam prorsus inicit mentionem (B 494 — 526).

Iam Homerum plus lucri attulisse uidemus ad carmen explicandum quam si cum exactissima Graeciae descriptione uel Nicolai Sophiani, quam commendat Delrius, uel si qua nostra aetate prodiit comparauissemus. Restant tamen satis multae et magnae difficultates. Qui enim fieri potuit ut poeta Thessaliam et Cretam, cum Thessalia Aetoliam, Troezenen cum Thessalia iterumque Aetoliam Thessaliamque nullo ordine coniungeret, quum Homerum in nauium indice ordinem certum instituisse uideamus, qui quare primos appellet Boeotios, ultimo Thessalos loco ponat patet. Quod uero Seneca Thessaliae urbes primum nominauerit, quae terra proxime aberat a Troia, quod in ultima parte locos ducum graecorum imperio subiunctos recensuerit, nonne haec satis demonstrant etiam Senecam ordine quodammodo atque ratione rem fuisse persecutum? Ut in paucis conferam: misere turbatum est carmen.

Huius confusionis exemplum statim in prima stropha habemus, ubi cum Gronouio legendum est Gyrtonē. Nam quod codd. Gortyne habent. hanc urbem *επιχόρσιον* appellatam Homero ne *πολλήκιως* quidem, ut uult Badenius, *paruam* dicere licebat. En adsunt duae Thessaliae urbes uno uersu coniunctae, quarum altera quare sit mutata luce est clarius.

¹⁾ L. Annaei Senecae pars tertia sive opera tragica quae ad Parisinos codices nondum collatos recensuit nouisque commentariis illustrauit I. Pierrot in Ludouici magni collegio rhetorices professor, necnon in academia Parisiensi eloquentiae professor uicarius. Parisiis Colligebat Nicolaus Eligius Lemaire Poeseos latinae professor MDCCCXXIX — XXXII. voll. III.

notior enim Gortyne urbs et quae cum Creta solebat una nominari. Quod si recte fecimus Cretam illam *ἐκατόπολιν* alienam esse ab hoc loco quis negauerit? Sequitur Methone

Quae sub Oetaeis latebrosa siluis
Misit infestos Troiae ruinis
Non semel arcus.

vid. Tro. 133 sq. Accipe fletus, bis capte senex.
Nil Troia semel te rege tulit.
Bis pulsata Dardana Graio
Moenia ferro bisque pharetras
Passa Herculeas.

et Agam. u. 614 Rursus (codd. ut quondam) Herculea cecidit pharetra
et ibidem u. 862 Te duce (Alcida) succidit Mendax Dardaniae domus Et sensit
arcus iterum timendos.

Ex quibus intelligitur *non semel* non ad *misit* pertinere, sed cum *infestos* esse coniungendum. Philoctetae autem patriam Meliboeam Magnesiae urbem non expresso nomine post Methonam laudari putauerunt editores. Verum hoc neque cum scriptoris more conuenit qui nunquam describendo tantum significat loca et alteram quoque stropham Pellæci regni descriptione primae similem fecit et quasi iussit respondere, quum Herculis illic, hic Achillis heroum Troiae fatalium in urbe euertenda partes explicet, nec cum uerbis ipsis; nam Meliboea non ad Oetam, sed sub Ossa sita est non procul a mari. Accedit quod uerbis hisce *sub Oetaeis latebrosa siluis* solam Trachina poterat indicare. nam ad Trachina in Oeta monte Hercules Philoctetae, siue is Poeas pater Philoctetae erat, arcum tradiderat. sed de Trachine satis supra uerba fecit chorus. Necessario igitur relatiuum enunciatum cum Methone iungendum, rem autem ita explicabimus, ut quum Homerus de urbibus in hac Thessaliae parte sitis dicat *τῶν δὲ Φιλοκτήτης ἤρχεν τόξων εὖ εἰδώς* et Methone et quas alias nominet aequae arcus illos misisse dici potuerit. Quum autem Methone ut Meliboea non sub Oetaeis siluis, sed sub Ossaeis rupibus sita sit, rescribendum erit *Ossaeis* quo adiectiuo usi sunt Vergilius Statius Lucanus Valerius Flaccus.

Iam si alteram stropham examinamus, uersus qui inter strophae primae finem atque regni Prothoi mentionem sunt interpositi, huc non pertinere uidemus. quid enim commune habent Pleuron et Troezena cum Methone et cum Prothoo? Eadem dubitatio uersibus 848—853 affertur ubi post Calydonem Aetoliae urbem, ante Bessan et Scarphen Locrorum urbes posita est Thessaliae iterum regio Titaresus quam perfundit. At ecce quam bene omnia cedunt, si commutasse locum istos uersus dicimus:

— — — — —	848	Aut fera notam Calydonæ saeua
829 Olenos tectis habitata raris	849	Quasque perfundit subiturus aequor
830 Virginis Pleuron inimica diuae	850	Segnibus terras Titaresos undis
831 (An maris lati sinuosa Troezen)	851	Bessan et Scarphen Pylon an senilem
832 Pelion regnum Prothoi superbum		

Thessaliae hic regiones, Aetoliae illic congregantur.

Omissis igitur versibus 829 — 831 alterius strophae hoc erit initium :

Quasque perfundit subiturus aequor
 Segnibus terris Titaresos undis?
 Pelion regnum Prothoi superbum et q. s.

Iam duas habemus strophas adonio clausas quibus Thessaliae regiones describuntur quae fortissima auxilia Achaeis miserant in Troiae urbis discidium, Herculis arcum Achillis uirtutem, quaeque captiuis omnium erant proxima.

Addit *tertiam* stropham: sequitur Euboea insula non longe distans a locis supra descriptis quam statim excipiunt Calydnæ insulae instar omnium quotquot per Aegaeum mare dispersae sunt insularum facilem nautis aditum praebentium. Inde terrarum ordinem geographicum aliquantum relinquit poeta propter locorum naturam non absimilem Gonoessam et Enispen Calydnis attexens. quarum epitheta (uento faciles — carens nunquam uento) propter *uenti* repetitionem quamquam primo conspectu displicent, tamen ueniam habent propter *λιόνηρα*. Inde ab insulis (quibus similitudine tantum loci Gonoessa et Enispe adhaerent, non uia huc ducente) ad Atticas regiones captiuarum mentem itineris memorem deflectit poeta, Eleusina Salaminaque. quibus qui praecedit uersus:

Attica pendens Peparethos ora

editores ualde uexauit, nam de Peparetho insula haec dici posse quis unquam crediderit? aut igitur errauit Seneca — et errare quidem et ille potuit qui Tro. u. 9 frigidum septena Tanain ora pandentem dicat eodemque modo nat. quaest. VI c. 7 I Istrum cum Tanai confundat (Danubius . . . Sarmaticos impetus cohibens et Europam Asiamque disterminans) — aut Atticae locum quendam uoluit significare, non insulam Thraciae uicinam, quae res quamuis uideri possit scholio Sophocleo ad Philoctetae u. 565 muniri quo Atticae *δῆμον* ita fuisse nominatum traditur, tamen obstat quod testis alius de eo demo non adest et ei qui adest, quum Sophocelis uerba sine ulla dubitatione insulam indicent, fides est detrahenda, aut denique coniectura emendandus locus erit, cui uiri docti intemperantius indulgentes praeter participium *pendens* omnia uerba tentarunt. Melius quam ceteri Heinsius egit quum pro Attica *Thracia* scriberet, cui tamen praestabit et sententia et literis atque propter librariorum frequentem errorem *Arctica*, ita ut ex aurae asperitate quae septemtrionali regioni plerumque est propria, adiuncta Chalcidi Calydnis Gonoessae Enispæ etiam haec sit insula. Hanc autem insulam in catalogo Homérico quum desideremus, ex illo Philoctetae loco quo mercatorem ex Ilio Peparethon se conferentem introducit Sophocles siue ex Ouidio sumpsisse conicio qui Met. VII 469 470: At non Oliaros Didymaeque et Tenos et Andros Et Gyaros nitidaeque ferax *Peparethos* oliuae Gnosiacas iuuere rates.

Debilia sunt argumenta atque paene ridicula quibus defendere uoluerunt Eleusin nominatiuum quocum statim coniungitur accusatiuus *Salamina ueram*. Sed non est librariorum culpa, nam quod in omnibus legitur *Salamina ueri* ita non emendarunt sed corruperunt corruptumque indigna poeta ratione sunt interpretati. nec de uero Aiace nec de Salamine uera ille cogitauit, sed *Salamina* nominatiuo est usus, quam nominis formam etsi Wesenbergius nescio quibus rationibus remouere studuit ex Ciceronis Tuscul. I 46 (ante enim

Salamina[m] ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropaei memoriam)¹⁾. tuetur tamen **Iustinus II 7 7**: **Salaminae** insulae. **XLIV 3 2**: urbem nomine antiquae patriae **Salamina**m condidisse. Veri autem non dubito quin literarum similitudine *r* et *s* decepti librarii scripserint pro se u i. e. *saeui*.

Quum ultima stropha uersibus constans 854 — 863 praeter abreptum adonium (quode initio capitis diximus) sit tradita, de quibus dicatur restant quae leguntur inter u. 848 et 853. quibus sublata **Titaresi** descriptione 849 850 addidimus strophae primae u. 829 830 ubi quae nominantur urbes **Olenos** et **Pleuron** proxime ad **Calydonem** ponendas esse **Homeri** locus satis docet **B 639 640**: οἱ Πλευρώων ἐνέμοντο καὶ Ὀλέων ἧδὲ Πηλὴν ἤν Χαλκίδα τ' ἀγχίαλον Καλυδῶνά τε περιήσσαν.

Quas Aetoliae urbes quid obstat quominus **Locrorum** statim sequantur **Bessa** et **Scarphe** quas **Titareso** fluuio allui inepte codices editionesque perhibent? Equidem satis multa credo. nam nemo mihi persuadebit **Boeotorum** terram ne uerbo quidem tetigisse poetam et lacunam in hac parte adesse ipsa uerborum coniunctio docet, quum subito in accusatiuum casum deflectantur nomina urbium quae supra totam enunciationem regerent. de grammatica illa ratione taceo quam quod etiam **Gronouius** exemplo minime apto (**Agam. 12 sq.**) fulcire studet maxime dolendum est, quum ante eum non defuerint qui deesse aliquid sint suspicati. et non raro quum uerba aut uersus in alium locum errore transpositos deprehenderunt editores, etiam quae supra et infra legebantur scriptoris uerba labem traxisse constat.

Scribemus interim: — — — — —

Olenos tectis habitata raris?

Virginis Pleuron inimica diuae?

Aut fera notam *ad Calydon*a saeua²⁾

— — — uocor — — — —

— — — — —

— — — — —

Bessa et **Scarphen**, **Pylon** an senilem?

Pharin an **Pisam**, **Iouis** et coronis

Elida claram?

Attica igitur relicta in occidentalem Graeciae partem mentem dirigunt, **Aetoliam** [**Boeotiam Phocensem agrum**] deinde **Locrensi**um terram. Sequitur **Peloponnesi** descriptio satis arcta et compressa. Ultima denique stropha ciuitates illas primorum complectitur chorus qui **Achios** contra **Troiam** duxerunt.

Quinque perlustrauimus carminis partes certis finibus circumscriptas quarum 1 2 4 adonio erant finitae qui etiam quintae addendus uidetur. strophas autem illas uersuum numero pares fuisse licet ex prima et ultima colligere quae decem constant hendecasyllabis cum adonio. Tertiae partis finem deesse ipsa sententia docet. nimis enim uiolenter rapitur

¹⁾ Alberti Sadolini Wesenbergii Emendationes M. T. C. Tusculanarum disputationum. Viborgi 1843 1844 partic. II p. 83.

²⁾ HO. 135 Ad Trachina uocor saxa rigentia.

animus a Salamine in Aetoliam. Secundae initium fieri nequit ullo modo *quasque* uerbo. Lacunas autem illas tales esse facile uidemus quae undecim uersuum numero in unaquaque strophā coniunctorum faueat.

Restant duo uersus S23 (Crete) S31 (Troezene) locis suis pulsī qui quo pertineant est incertum. Conatus tamen sum in ordinem etiam eos redigere ita quidem ut poetam maritimas ciuitates orientalis Graeciae partis enumerantem ex Attica ad Troezena indeque transiisse ad Cretenses putarem unde redux uersus occidentem sitas regiones aptius poterat uisere quam si ex Athenis statim migrasset in Aetoliam:

Troades 817 — 863

Chorus.

- a S17 Quae uocat sedes habitanda captas?
Thessali montes et opaca Tempe?
An uiros tellus dare militares
- S20 Aptior Phthie meliorque fetu
Fortis armenti lapidosa Trachin?
An maris uasti domitrix Iolcos?
- S24 Parua Gyrtone sterilisque Tricce?
- S25 An frequens riuis leuibus Mothone
Quae sub Ossaeis latebrosa siluis
Misit infestos Troïae ruinis
Non semel arcus?
- b — — — — —
— — — — —
- S49 Quasque perfundit subiturus aequor
- S50 Segnibus terras Titaresos undis?
- S32 Pelion regnum Prothoi superbum,
Tertius caeli gradus? hic recumbens
Montis excēsi spatiosus antro

Codicum siglis his usus sum: *E* codex Etruscus s. Florentinus (Laurentianus) — *R* 10 *R* 11 Rehdigeranae bibliothecae S16 n. 10 et 11 — *Gg* Gothani codices quorum mihi excerpta transmisit Gustauus Richter. — *Vr* bibliothecae regiae quae Vratislaviae est codex a. 1492 (IV Q. 42) — *Bas.* Editio Basileensis a. 1550 apud Henrichum Petri cuius in margine quaedam lectiones uariae.

Chorus) deest in 10 chorus Troianorum *Vr* 816 Thesalii *R* 11 Thesali *Gg* oppaca *R* 10 opacha *G* 819 an) aptaq₃ *Basil.* mg 820 phitye *R* 10 phitie *G* ficie *R* 11 phicie *g* 821 armentis *Vr* *Bas.* *G* eraso *s* *R* 10 11 trache al' trache *R* 11 trache *R* 10 *G* *Bas.* mg trace *Vr* *g* 822 uasti maris *Vr* yolchas *Vr* iolcox *G* 824 cortine *R* 10 11 *Vr* *G* *g* cortyne ms. Comm. trice *R* 10 11 *Bas.* *Vr* tripte *g* stirce *G* 825 ruis *R* 10 ruis ex riuis factum (suprascr. al' ruis) *R* 11 rustis *G* *g* riuis *E* methone *R* 10 *Vr* *G* methoe *R* 11 *Mothone* *E* 826 echates (suprascr. al' etheis i. thesalicis) *R* 10 echatis *G* echateis *g* ethacis *R* 11 oethe *Vr* tenebrosa siluis *R* 11 827 troye *Gg* 828 arcus *G*

849 perfundit *Bas.* Traiect. 2 *R* 10 11 quasque ms. Comm. *Bas.* *R* 10 11 citharesos *R* 10 cytharesos *G* citaressos *R* 11 cythareosos *g* Titaresos *Bas.* 832 pelyon *g* prothoi *G* Protei *Bas.* *Vr* proth'i *R* 11 correctum in *E* *R* 10 *g* 833 tertio *G* recumbens *R* 10

- 835 *Iam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas.
Tunc quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo.*
- c
- 840 *An ferax uarii lapidis Carystos?
An premens litus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet uento faciles Calydnæ?
An carens nunquam Gonoessa uento
Quæque formidat Borean Enispe?*
- 845 *Arctica pendens Peperethos ora?
An sacris gaudens tacitis Eleusin?
Numquid Aiakis Salamina saeu?*
- 831 *An maris lati sinuosa Troezen
— — — — — ?*
- d
- 823 *Urbibus centum spatiosa Crete?
— — — — —
— — — — —
— — — — —*
- 829 *Olenos tectis habitata raris?*
- 830 *Virgini Pleuron inimica diuæ?*
- 848 *Aut fera notam ad Calydonæ saeuæ
— — — uocor — — — — —
— — — — —
— — — — —*
- 851 *Bessan et Scarphen, Pylon an senilem?
Pharin an Pisan Iouis et coronis
Elida claram?*

835 chyron g 836 tinulans G tinulas Vr Timqlas R 10 tumulas g cordas G g 837 ingentas Vr uerberat iras R 10 11 Bas. mg G g ms. u. Comm. (natum hoc uerbum ex glossa adscripta ad superiorem uersum cf. Tro. 321 leui canoram uerberans plectro chelym). 838 canenda bella Vr qui hunc et u. 839 coniunctos habet.

839 feras G rari Bas. (at in mg. uarii) caristos Vr G g caripstos R 11 840 latus E (in schedis Gronouianis) 841 calchis R 10 11 G calthis g calcis Vr 842 Quodlibet Vr echidne Bas. R 10 g echidue al' echine R 11 echidûe (gl Echinades) Vr echione G *Calydnæ E* (testatur etiam Nic. Heinsius ad Ouidii A. a. II 81). 843 Ac Vr genoessa R 10 11 g Bas. generosa G 844 formidant g Bas. R 10 11 *formidat E* boream G *Borean E* enypse R 10 g enipse Vr en yspe G etrupe R 11 *Enispe E* 845 Athica R 10 Atica R 11 actica G Attica ceteri. peperethos R 10 peperetos R 11 paparethos g paparetos Vr hora G 846 In sacris G eleusis R 10 Vr G g eleusim R 11 *Eleusin E* 847 ayacis G g (gl. thelamonii in R 10) solamina Vr ueri codd. 831 sumosa g lati maris Bas. trozeu R 11 troezon G troezen g (quum Gothani semper e literam seruent pro ae et oe) 823 spacio crete R 11. crethe G g 830 Virginis codd. *praeter E* pleuros R 10 11 Vr G g *Pleuron E* due g 848 Aut fera ms. Comm. R 10 11. An uera Bas. An fera Vr sera G calidona R 10 11 G g Vr (gl. ducentur R 10.) seuâ G 851 Bessan R 11 Bersan g scarphen R 11 Scharphen Vr pilon R 10 11 G pylon g an selmen g *physon an elmen E* (sched. Gronou.) 852 Phai (al' pharum) R 11 pharim G an ipas R 10 G an pisas R 11 an pysas g pysam Vr coronis G Elyda R 10 g.

- e **Quolibet tristis miseram procella**
 855 **Mittat et donet, cui cunq̄ terrae:**
 Dum luem tantam Troïae atque Achiuis
 Quae tulit Sparte procul absit, absit
 Argos et saevi Pelopis Mycenae,
 Neritos parua breuior Zaeyntho
 860 **Et nocens saxis Ithace dolosis,**
 Quod manet fatum dominusque quis te
 Aut quibus terris, Hecube, uidendam
 Ducet, in cuius moriere regno

— — — — — ?

854 Quodlibet Vr procella G 855 Mittat G mittet Vr cynoûq̄ terre g 856 lucem G g necem
 R 11 troye G g 857 Sparthie R 10 sparthe Vr g 858 micene R 10 11 Vr G g 859 iacintho R 10
 iacinto R 11 iachinto g accinto G 860 ythace R 10 htyace G itache R 11 ithache g 862 hecuba
 GE (sched. Gronou.) 863 Ducet cuius Vr.

Quum operam meam impenderem huic carmini, ut arte quadam Senecam cantica tra-
 goediarum composuisse ostenderem, res aliter uidetur cecidisse; nam quae artem prodant
 perpauca sunt. uerum etiam pauca illa quae laudem qualemcunq̄ merentur detrahenda
 auctori esse Euripidis fabula eodem nomine inscripta docet in qua Troades haec canunt
 u. 187 — 190:

ὠὸ ὠὸ
 εἰς μὲν Ἀργείων ἢ Φθιωτῶν
 ἢ νησαίαν μὲν ἔξει χώραν
 δίστανον πόρσω Τροίας:

Nonne easdem fere partes Seneca adhibuit qui Thessaliae regiones prima et altera stropa
 est complexus, insulas et maritimas ciuitates tertia, quarta Peloponnesiacas? Quinta autem
 quod abhorrentes describit mulieres a Sparta Mycenis Ithaca, praeiuit hac quoque in re
 Euripides u. 212 — 215:

μὴ γὰρ δὴ δίταν γ' Ἐθῶτα
 εἰὼν ἐχθίστιαν θεράπνην Ἐλένας,
 ἐνθ' ἀνιάσω Μενέλαε δούλα,
 τῷ τὰς Τροίας πορθηῖ.

In describendis autem istis regionibus quae captiuis placeant prae Sparte (u. 208
 Πειρήνη . . . Θησείως χώρη 216 Πελοπόννησος χώρη 222 Ἀνιάσων χώρη 225 ? (Ἰαρίῳ ραντα
 πότιω) 226 ἂν ἔγραψεν ὁ Κραῦσις), quantum praestet graecus poeta romano uix est quod
 dicamus. Quodsi poetam ex Euripide sententias et regionum descriptarum diuisionem, ex
 Homero urbium et locorum nomina et epitheta praedatum esse non negari possit, id tamen
 ex eis quae diximus concessum iri putamus non ita ratione priuatum confusum et logicis
 et grammaticis legibus solutum, omni denique externo decore destitutum ex auctoris
 fabrica hoc carmen produisse, ut libris antiquis est seruatum.

Comparisonem eam cum graecis poetis quia proficere posse his tragoediis illustrandis didicimus, etiam emendationi inde aliquid lucri posse afferri alio exemplo ostendam Homero et Euripidi Sophoclem socium adiungens. quos infra, ubi de carminibus quae in Agamemnone leguntur dicam, excipiet Aeschylus. Legitur Oedipi u. 768 sqq.:

Redit memoria tenue per uestigium
 cecidisse nostri stipitis pulsu obuium
 Datumque Diti. cum prior iuuenem senex
Curru superbus pelleret Thebis procul,
 Phocaea trifidas regio qua scindit uias.

curru quod legitur u. 771 neque cum *superbus* neque cum *pelleret* recte coniungitur. non enim per se stare potest *pellere* et *curru pelleret* idem esset quod *ex curru expelleret*. (ceterum similis uersus est HO. 1974: curru superbum uecta transcendes caput). Totam descriptionem auctor ex Sophocle uertit u. 805 sqq (cf. etiam Eurip. Phoen. u. 42):

τριπλῆς
 οὐτ' ἦν κελεύθου τῆς δ' ὁδοιπορῶν πέλας
 ἐνταῦθά μοι κῆρύξ τε κἀπὶ πωλικῆς
 ἀνῆρ ἀπήνης ἐμβεβῶς οἶον σύ φῆς,
 ξυνηντίαζον καὶ ὁδοῦ μ' ὁ θ' ἡγεμῶν
 αὐτὸς δ' ὁ πρόεσβις πρὸς βίαν ἤλαυνέτην,
 καὶ γὰρ τὸν ἐκτρέποντα, τὸν τροχηλάτην
 παῖο δι' ὀργῆς.

legendum est igitur *cur su superbus pelleret*.

c) Oedipi canticum u. 110—158. quatuor eius sunt partes finitae praeter ultimam adoniis, rebus praeterea ita dispositis ut quaeque pars unam absolutamque efficiat sententiam. (1 questus de indigna Thebanorum morte 2 descriptio stragis 3 prima pestis initia 4 furor morbi summus cuius descriptio anapaestis continuatur u. 159 sqq) Versuum numeros qui sunt in editionibus hos habes: 13 ad. 8 ad. 11 ad. 9.

Post u. 123

Promit hic ortus aperitque lucem
 Phoebus et flamma propiore nudos
Inficit Indos

in ms. aliquot Palatinis sequi testatur Commelinus: *igne uicino* uel *igne furtiuo*. illud (i. uicino) extat in Rehdigeranis 10 et 11. nihil adnotauit ex recentissimo Vratislaniensi, deest etiam utrumque in editione Basileensi. Non equidem nego ualde placere tam breuiter dictum illud quod sequitur u. 124: *Stirpis inuictae genus interimus*, at uix puto poe- tam moris sui oblitum abstinuisse uerbo quod his *stirpis inuictae* opponeretur. Igitur ut inuictum laboribus innumeris Herculem querentem inducit in Oeta, quod Nesseo, sanguine furtim uiscera urente dometur, ita hic quoque Bacchi milites inuictos procliis furtiuo igne, peste medullam imam torrente, uinei poeta non indicasse tantum sed pronunciasse uidetur. Utrum in *E* legatur nescio, sed ex eius praestantia colligo eum furtiuo praebere, quod qui Palatini tradunt sine dubio ii sunt quos bigae Palatinae nomine saepe et iure laudat Gru-

terus. Verum si haec uerba retinemus simul uerba quaedam omissa esse uidemus quae cum iis hendecasyllabum effecerunt, quo facto quia ad superiora pertinere uisa sunt *i. furtiuo*, pro furtiuo ponebatur a librariis *uicino*. Senecae illud esse atque iniuria hinc sublatum monet etiam Hipp. u. 280: Labitur totas furor in medullas *Igne furtiuo* (sc. Amoris) populante uenas.

Tres priores strophas cum adonius claudat, desideratur in fine quartae. Sed e Vergilii uersibus Georg. III 544 sq.

Interit et curuis frustra defensa latebris
Vipera et attoniti squamis adstantibus hydri.

probabiliter confici potest etiam huic strophae uersum addendum esse.

Exaequatas ita uidemus facili opera alteram stropham et quartam ut nouenis constant cum adonio uersibus. Similiter autem primam tertiamque uersuum numero pares fuisse et quasi inter se respondisse arbitror. Quas enim difficultates in tertia reperit Gronouius dubito num recte iis consulatur eo, ut *si ad patuit sub ictu* intelligamus ex eius sententia atque *nec cruor* scribamus. Scimus autem quem imitatus sit Seneca in peste describenda: est enim Vergilius in Georgicon l. III cuius libri uersus 486—88 492 et 93 quum hac strophā expressisse poetam nemo possit non concedere, conicere licet etiam qui medii inter hos sunt uersus 489—91 accuratius atque clarius fuisse redditos quam sit his uerbis: *patuit sub ictu Ponderis uasti resoluta ceruix*. Itaque haec uidentur sic scribenda:

Labitur segnis ∪ ∪ — ∪ — —
— ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ — —
— ∪ — — — patuit sub ictu et q. s.

Ceterum hoc quoque in carmine non unum Vergilium habuit ante oculos, sed etiam Ouidium Vergilii et Lucretii (uid. VI 1136 sq.) sectatorem Met. VII 523—613. quod u. 536 docet:

Strage canum prima uolucrumque ouiumque bonique
Inque feris subiti deprensa potentia morbi.

Talis igitur nascitur carminis forma: 14 10 14 10. sequuntur uero anapaesti.

III.

Glyconeorum duo apud Senecam sunt genera. Horatiana forma, ut in basin solum spondeummitteret, usus est in his: Med. 75—92 III. 875—894 Thy. 336—403 HO. 1031—1130. de quibus paucis agendum. Pherecrateus quo abstinuit fere poeta duobus tantum extat exemplis HO. 1060 et 1080. quorum alterum B. Schmidtus retinuit, alter „quando parum apte in media sententia conlocatus est uix dubitari potest quin ex integro glycone corruptus sit.“ quare cum Benteio (ad Horatii c. 1 15 15) legit: Orpheus

carmina *diuidens*, unde altera *d* (*cl*) literae parte (*c*) propter literam *a* quae antecedit absumpta altera (*l*) lineola transuersa in *f* mutata nata est codd. lectio *fundens* quam sic corrigere uoluit Gronouius: *funditans*. Etiam pherecrateum qui est u. 1060 *tunc oblita ueneni* editionis principis auctor mutare studuit: tunc oblita *mali sui*. sed ut carminum sapphycorum pars prior clauditur interdum adonio, ita hoc loco sententiae priori finis est impositus pherecrateo. uidetur etiam locum tueri Silli III u. 301 a Badenio comparatus: ad quorum cantus *serpens oblita ueneni*.

Notanda sunt in hoc metro quae earundem uocalium consonantium syllabarum uocum denique repetitione et concursu effecta sunt aurium blandimenta quae non studio et consilio quaesita a tragico sed metri naturae imputanda dixerim. Ita Med. 82 83 *adspici — duci* 86 *nec non 90 sic sic* 88 *cedet Castore cum suo Pollux caestibus aptior* 91 92 *uincat . . uir . . uiros*. Hf. 871 *maribus nurus* 1048 *scopulos Athos Centauros obiter ferens* 1126 27 *Tartara . . tria* 1104—7 *Australis polus obruet . . iacet . . tenet*. Arctous *polus obruet*. Thy. 388 89 *Rex est qui metuit nihil, Rex est qui cupiet nihil* 402 3 *qui notus nimis omnibus ignotus* — 391 *nullis nota*. aliaque permulta.

Alterum glyconeorum genus est id quo quartum Oedipi actum finiuit Seneca u. 882—914. sunt autem XXXIII uersus ex basi trochaica incipientes quorum XX contractum habent dactylum. incisio in omnibus facta ante iambum ultimum, in XXI uersibus etiam post arsin secundam. Qui hos uersus dimetros troch. catal. dicit Grotendius eo refutatur quod in secunda sede nunquam nec trochaeus nec dactylus reperitur. trochaica basis quum eo tempore ex glyconeis prorsus esset exclusa quam prioris seculi poetae saepius sibi indulerunt, ter decies Catullus c. XXXIII, consilio et ratione illum pedem admisisse poeta uidetur ut metrum fingeret et cum glyconeis et cum trochaicis aequè cognatum. Atque ut de hac ratione certiores fieremus Boetius facit tragici imitator, qui quum semper fere spondiacam redderet basin, per totum carmen tertium quarti libri adhibuit trochaicum¹⁾. et simili

¹⁾ nam iste etiam u. 39 est reponendus, ubi *uulnere* in textu retinuit Obbarius, quamquam non improbat p. 151 quod est in editionis Colon. a. 1589 margine probatum id a Vallino *ulcere*. Neque eam carminis legem in hoc uersu graece uertendo neglexit Planudes. — Similem Boetius hibridam finxit IV c. 2 ubi X pherecrateorum basin quinque anapaesticam redderet, ut ionicorum prodirent similes, et III 6 ubi in VIII pherecrateis quater anapaestum admitteret. sunt quidem etiam in aliis carminibus tales pherecratei, sed suspicandi illi. nam II 4, 8 „*bibulas uitet arenas*“ (Planudes: ψάμαθον τ' εὐστραφέλιτον) contra Weherum frustra defendit Obbarius hac glossa: „*bibulas . siccas . densas.*“ et II 2 14 „*Sed quaesita uorans saeua rapacitas Alios pandit hiatus*“ quum artificiosior sit Obbarii sententia (alios i. e. *non uulgares*) cum aliquot codd. et edd. legendum erit *altos*. et II 2, 18 „*Sitis ardescit habendi*“ ex loci sententia scribendum potius erat *siti*, nam *cupido* dicitur largis fluens muneribus, non *sitis*, et *cupido* etiam magis incenditur habendi studio. uerum ne *siti* quidem propter iambicam quae prodiret basin ferendum est. — Ceterum tacere non possum quae ab Obbario p. 158 159 de Boetianis metris sunt adiecta ea et prelarum mendis esse referta et falsis de re ipsa opinionibus plenissima, ut eorum fides nulla esse possit. — In transitu Boetii sapphycos liceat tangere qui Senecanis legibus respondent praeter II 3 10 errore ut uidetur typographi corruptum (legendum autem mare, non mari) et II 6 15 ubi pro *uertere prau* uelim „*Vertere inuisi* (s. insani) rabiem Neronis“ coll. III 4 4: inuisus tamen omnibus uigebat Luxuriae Nero saeuientis. De sapphycorum hemistichii copulatis cum adoniis III 5 infra erit agendum. In glyconeis II 3 16 ualde dubito num recte posita sit iambica basis *bonis* ideoque malim cum cod. Helmst. quocum concinit Leyser, sic scribi: *donis* crede fugacibus.

in re praecit Catullus qui in carmine LIII ad Camerium scripto in XXXII hendecasyllabis pro dactylo posuit spondeum quinquies decies, quare in ceteris carminibus prorsus abstinit. atque etiam basin trochaicam per totum fere carmen exceptis XIII uersibus adhibitam ostendere poterat Catullianum c. LXI constans CCXXXV uersibus.

Qui corrigendus erat huius carminis u. 908: *comes audacis uiae*, egregie illum corripit L. Mueller¹⁾ p. 167, quum scriberet *compos a. u.* In u. 904 *fugit* non praesentis est temporis sed perfecti.

Bothius binos uersus in unum coniunxit. Non recte, quamquam in codicibus ita scriptum est carmen, ut in Rehdigerano II (semel igitur tres uersus in una linea coniuncta sunt: Vincere — Imperat — Nomen —) Verum is liber quem librarius descripsit non ita scriptos habebat uersus. Nam in Rh. II legitur:

Sed quid hic postes sonat *Mestus* et famulus manu
Regios quassans caput. Ede quid portes noui

Quem in errorem non poterat ille incidere nisi singulos in lineis uersus scriptos inueniebat ita:

Regios famulus manu
Moestus et quassans caput
Ede quid portes noui

Errorem autem istum recepit Rh. 10 in quo haec:

Mestus et famulus manu
Regios quassans caput

Eodem modo Ag. 759 sqq. iambici uersus et Hf. 875 sqq. glyconei in Rehdigerano II scripti sunt.

Priusquam de asclepiadeis dico, de HO. carminis 1031 sqq. duobus locis sententiam meam exponam. in uersu enim 1066 in Etrusco *ridit non mouit* legitur. scribe *uicit*. eodem uerbo Hf. 382 utitur: Tandem mortis. ait (Pluto), *uicimur* arbor (sc. ab Orpheo). Difficilior alter locus. Quinque partibus totum carmen continetur: praemissis quinque uersibus 1031 qui sunt de Orphei dicto „aeternum fieri nihil“ 1. Orphei ars describitur 1036 2. Tartara quae cantu uicit 1061 3. Reditus 1079 4. Quas post reditum cecinerit Getis leges in superos datas 1093 5. Denique quae mundi ruinam secutura sint chorus deliberat 1118. tribus ultimis uersibus ad Herculem chorus se conuertit 1128—1130²⁾.

¹⁾ Cetera quae ad Senecam emendandum contulit ille in libro suo de re metrica et in museo Rhenano uilia sunt et leuidensia. tragoediis autem hisce quantum impenderit operae et studii satis e iudiciis de codicibus editoribusque prolatis intelligas. mediocri enim Bothii. Badii (Torkilli Badeni?) nulla dicit merita qui quantum superet Bothium iudicii sobrietate atque diligentia non est quod multis demonstremus. *Thueneas* que commemorat membranas quae neminem adhuc criticorum non fugerunt.

²⁾ V. 1094—1096 quamquam Rutgersius dudum illic deletos in suum locum transtulit post u. 1109 „Et ficus Boreas ferit“ Bothius tamen maluit sua coniectura uti (*Ex* quo tempora, pro: Et qui t.), *Badenius*, ut solebat, defendere locum. uterque frustra

Tertia pars ita incipit:

Sed cum linqueret inferos
 1080 Orpheus carmina diuidens,
 Et uinci lapis improbus
 Et uatem potuit sequi.
 Consumptas iterum Deae
 Supplent Euridices colos.

Quisnam iste lapis improbus? De Eurydice tantum agitur, quam ut repeteret Orpheus adiit manes. Et en redeunti sequitur lapis! nam ad *potuit sequi* Eurydicen quominus intelligas, obstant grammaticae leges; neque si id posset fieri, lapis qui Tartara claudit (cf. 1771 pulsare Taenareas fores) posset intelligi. Deleto utroque uersu probum habebis enunciatum:

Sed cum linqueret inferos
 1080 Orpheus carmina diuidens,
 1083 Consumptas iterum deae
 Supplent Euridices colos.

Non autem singula quaeque accurate narrantur, sed ea tantum quae sunt grauissima breuiter indicantur ut in re notissima. Itaque post *supplent colos* non opus erat addi: *et uatem potuit sequi*; sed statim poterat narrari: Sed dum respicit et q. s.

Versus autem illi unde huc sint traieci inuenisse puto. Gronouius ad Medae u. 746 adnotauit haec: „Semper fere in his tragoediis coniunguntur hae poenae, Ixionis Tantalus Tityi Sisyphi Danaidum.“ at non recte quatuor illis qui semper fere nominantur coniuncti (Hf. 755 Thy. 9 ubi loquitur Tantalus, Phaed. 1230 Ag. 15 HO. 946), nisi forte unus tantum ex illis nominandus erat ut Tityos Hf. 977, addidit Danaides quippe quae non nisi HO. 946 sq. et una cum Cadmeidibus Phineisque Hf. 755 sq. subiciuntur Ixioni Tantalos Tityo Sisypho. — Ille igitur Tityi nomen desiderans in Medae uersu qui talis est in *E: Grauiorum* poena sedeat coniugis socero mei (uulgares codd. *Grauior* poena etc.) inculcare studuit ita: Grauior Tityi (titii = um siue uni), ualde aberrans a recto, quum ne uocem quidem quae est grauior recte esset interpretatus. mihi grauiorem poenam quam qua illi laborant Medea imprecari uidetur Creonti: Creontem, ut ait Farnabius, maneat poena longe grauior Tantalus supplicio. Tityi autem poena illi loco non est apta. Scribendum erit ex Etrusci uestigiis *Grauior umeris* poena s. c. s. m. quod quum non nisi in onus Sisypho impositum quadret (quamquam in omnes qui recensentur labores sententia poterat transferri), hunc uersum post u. 747 collocandum duxi in quo Sisyphi fit mentio. Inest igitur adhortatio optandi modo pronunciata eisque quibus excitare manes studuit et Danaides non solum accommodata sed etiam postulata. Ceterum non interruptam fuisse a poeta Tantalus mentionem Danaidumque sententia quae efficeretur uoce *noluit* aliena, docere poterat uox *quoque* u. 748¹⁾. [De uerbis ipsis conferendus est Thy. 7: *Sisyphi*

1) Quis unquam dixit Sisyplum *uolui*? Ouidius Met. III 459: „Aut petis aut urges ruiturum, Sisypho, saxum. Voluitur Ixion.“ Idem Met. X 41 sq., quem locum expressit Seneca et in Medea et in Hercule altero:

numquid *lapis Gestandus umeris lubricus nostris uenit?* HO. 1242: his mundus umeris sedit?

Verum quamquam hoc loco quartum illum non addi posse arbitror: ubi inferorum sedes plenius describere instituit Seneca sine dubio desiderabitur aliquid, si non solita ratione notissimas illas poenas persecutum poetam uiderimus. atque ita res se habet in hoc carmine ubi u. 1067 sequuntur haec:

Haesit non stabilis rota (Ixionis)
Victo languida turbine.
1070 Increuit Tityi iecur.
Dum cantus uolucres tenet.

Et cymba sponte sua sequitur¹⁾ et Tantalus sitim excussit famemque. Sisyphi lapis est omissus siue potius infra irrupit in ditionem non suam. reponendi igitur u. 1081 S2 cum unius uersus lacuna post Tityum u. 1074:

1070 Increuit Tityi iecur
71 Dum cantus uolucres tenet.
S1 Et uinci lapis improbus
- - - - -
S2 Et uatem potuit sequi.
72 Audito quoque *carmine* et q. s.

nam sequi potuit non *λίαν* iste *ἀραδίης*, sed Sisyphus. Tartari autem descriptio ter septenis uersibus quum perfecta sit, aliae quoque partes aequabilitatem quandam atque numerorum legem ostendunt, ut schema carminis tale sit:

5		435	445		777		453		65356		334		3
		A			B		C		D		E		

Nec Tantalus undam
Captauit refugam: stupuitque Ixionis orbis:
Nec carpsere iecur uolucres: urnisque uacarunt
Belides: inque tuo sedisti, Sisypho, saxo.

quare unice uerum quod rescripsit Grononius *soluit*.

¹⁾ *ratix* sine dubio est primus casus. *nauita* sextus. Clericii emendationem: *aurito* quoque *nauita* i. e. auscultante, uereor ne Badenius cautissimus alius homo praepropere receperit. Iacobus Grononius in schedis: *audita uoce (!)* *nauita*. Nisi *nauita* ipso officii oblito opus esset, fortasse hic ut u. 1046 (*auditis . . . cantibus*) posset scribi *audito quoque carmine*. *nablio* pro *nauita* Bothius excogitauit.

III.

Asclepiadeis dodecasyllabis in his usus est poeta:

Phaed. 753—760 764—823	Hf. 524—591
Tro. 374—411	Thy. 122—175
Med. 56—74 93—109	HO. 104—173.

basis constanter est spondiaca, incisio in fine prioris choriambi. ut apud Horatium. quem etiam in continuandis his uersibus sequitur (Hor. I 1 III 30 III 8).

Breuculus praeterea extat uersus Tro. 404: *quo non nata iacent.* de quo recte iudicauit Ascensius: „Quaeris quo iaceas post obitum loco? Respondet: Eo quo non nata iacent. id est nusquam, quae sententia quum sit grauissima et firmissimum habere uideatur argumentum ad animae extinctionem probandam poeta data opera hemistichio clausit.“ Verum etiam grauissima sententiae auctoritas¹⁾ non excusabit poetae licentiam si Andromachae uerbis in Euripidis Troad. 636 adductus erat ad eam his:

τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανάτῳ ἴσον λέγω.
τοῦ ζῆν δὲ λεπτοῦς χρηϊστέον ἔστι κατθανεῖν.

Veniam tum demum habebit, si ex scriptoris ipsa mente et animo perturbato fortunae uicibus prodiisse eam dicemus. Quis autem frequentius hanc sententiam et quae ei sunt cognatae exposuit quam L. Annaeus Seneca philosophus? Cuius uerba quae in Consolationis ad Marciam c. XIX²⁾ leguntur cum tragici sententiis conuenientia. etiam si aliis testimoniis essemus destituti, satis testantur philosophum etiam tragoediarum esse auctorem (hac illaue sane exceptis — nam de Hercule altero neque ego dubito neque G. Richter quin alii auctori atque ceterae sit tribuenda).

Quum in tanto carminum numero omnes uersus quotquot fecit poeta probi sint respondeantque Horatianis legibus. falsi arguuntur qui leguntur in Oedipi carminibus tales:

¹⁾ ut ex nostratium carminibus simile exemplum repetam: Victor Iosephus Scheffelius in eo carmine quod inscripsit *tubicen Saecingensis*. quum dimetris trochaicis ineptissimis scilicet uersibus rem persequeretur, unum uersum imperfectum reliquit hunc: „Und sie küssten sich.“

²⁾ Dial. VI ad Marciam de consolatione XIX 4 et 5: Cogita nullis defunctum malis adfici. illa quae nobis inferos faciunt terribiles. fabulam esse. nullas imminere mortis tenebras nec carcerem nec flumina igne flammantia nec obliuionis amnem nec tribunalia et reos et in illa libertate tam laxa illos iterum tyrannos. *luserunt ista poetae et uanis nos agitauere terroribus.* 5 Mors dolorum omnium exsolutio est et finis, ultra quem mala nostra non exeunt. quae nos in *illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur iacimus.* reponit. Si mortuorum aliquis miseretur. et non natorum misereatur. Mors nec bonum nec alium est. id enim potest aut bonum aut malum esse. quod aliquid est. *quod uero ipsum nihil est* et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit. mala enim bonaque circa aliquam uersantur materiam. non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit. nec potest miser esse qui nullus est.

Quae tibi nobiles Thebae, Bacche, tuae (Oed. 406)
 Ut primum magni natus Agenoris (Oed. 715)¹⁾
 Sub nostrae ramis constitit arboris Oed. 717

(sed legitur in *E* nostra pauidus c. arbore). hunc uero probabimus:

Effugium et miseris libera mors uocet (Ag. 589)

Stropham quoque *asclepiadeis* constantem apud Senecam deprehendimus in quarto *Phaedrae* carmine quo fortunae instabilitatem canit chorus Hippolyti interitum deplorans. X ibi monometros anapaesticos quibus generatim et uniuerse explanatur sententia sequuntur haec²⁾:

Adnata aetheriis culmina sedibus
 Euros excipiunt, excipiunt Notos.
 1130 Insani Borcae minas
 Imbriferumque Corum.

His autem uersibus ad altos montes uentis expositos transfertur sententia. de montibusque fulminis ictu percussis anapaesticis qui sequuntur XV agit poeta a Ioue statim fulminante ad res humanas plebeiamque domum rediens. Quibuscum comparanda sunt quae dicit Octauiae auctor u. 895 sqq. „Bene paupertas Humili tecto Contenta latet. Quatiunt altos Saepe procellae Aut euertit Fortuna domos.“ Iam sequitur uersus non anapaesticus sed choriambicus:

Circa regna tonat.

quem Grotium aegre ferimus in anapaesticum dimetrum mutasse — legit enim: „Circa reges et regna tonat. Volat“ et q. s. adductus ut uidetur Oedipi u. 523 Regi atque regno. Med. 863 Regnum simulque reges (cf. Bothium) — sed non quod defendere uelimus illo Troadum hemistichio u. 334, nam tota res alia est: immo huc non pertinere uersum mihi est certissimum. Quid enim sibi hoc loco uelit tonitru positum inter sententias hasce „non

¹⁾ Quamquam sapphicos glyconeos asclepiadeos continuauit Seneca, *alcaicum* tamen uersum carminibus suis non eodem modo adhibuit. quod Claudianum in Fescenninorum primo fecisse uidemus et Alanum doctorem Parisiensem (Meyeri anth. n. 396). Sed inmixtum inuenimus aliquoties choricis illis Ag. et Oed. quae infra enarrabimus. Ubi quum Oedipi uersum 715 sequatur alcaicus 716 (Fessus et q. s.) et iste uersus non asclepiadeus erit habendus quod ne accentus quidem permittere uidentur rationes, sed potius alcaicus facili opera emendandus sic: Ut *primus ingens* natus Agenoris Rectis numeris leguntur Oedipi u. 716 (Fessus —) 723 (Inauspicata —) Agamemnonis 830 (Pressus —) 852 (Arborque —) 609 (Par —). sed poterat horum numerus augeri rectius distributis uersibus ut Ag. 839 40 duxitque ad ortus Hesperium pecus, quem alcaicum esse ostendit qui subicitur uersus: Geryonae spoliū triformis. cf. 597 (Victoris —) et qui sequuntur 598 599. Frequentia sunt alcaicorum hemistichia priora maxime ut Ag. 854 Fugitque in auras. Sed de eis infra disputabitur.

²⁾ Glyconeus et hephthemimeris choriambicus eodem uersu continentur in Rehd. 11. *excipiunt* semel in uulgaribus mss. et edd. (ut in Basil.) bis in Melisseo mo Palatino (Commelino et Grutero testibus) Moguntino Vossiano. — Turbata quaedam esse et ante et post hanc stropham codices docent. u. 1127] Rehd. 10: *Præbetque senex* (lineola transuersa *x* deleta et supra scr. *s.*) Rehd. 11: *Præbetque senex* et ita *E* Voss. Mog. duo Germanici a Gronouio inspecti. In ed. Basil. et cod. Vratisl.: *Præbet somnos.* u. 1132] Rehd. 10 11 Vratisl.: *Ruros* (Baro R II) patitur fulminis ictus | Humida uallis. In ed. Basil. ultima uerba superiori uersui adhaerent: Imbriferumque Chorom: humida uallis | Baros patitur fulminis ictus.

capit unquam *magnos motus* humilis tecti plebeia domus“ et „Volat ambiguis *mobilis alis* hora“ idque ab ea carminis parte ubi de Iouis fulmine agebatur remotum non intelligo. Rectius cum uno Palatino Gruteri altius uersiculum illum collocabimus sic: „Metuens caelo Iuppiter alto Vicina petit: Circa regna tonat“ inde de fortuna agens ad Theseae domus sortem conuertit auditorum mentes. Sed quum non putandus sit Seneca uersiculo isto clausisse sententiam — nam is sane regnorum non breuem inieciisset mentionem, sed rem suo more pluribus executus esset uerbis — fragmentum esse strophae asclepiadeae censeo respondentis ei quae supra interposita erat ¹⁾.

Quoninus praeter hanc strophae particulam tertiam Phaedrae uersibus 781 — 84 extare credamus, quam sententiam tacite secuti sunt editores, aperte professus est Freesius in libro de re metrica p. 415, obstant perquam multa. Libri impressi:

781 Formosos solitae claudere fontibus:
Et somnis facient insidias tuis
Lascinae nemorum deae
Montiuagique Panes.

Et primum quidem stropha quatuor uersuum esse non potest, quia cohaerent u. 780 et 781 neque etiam uero est simile poetam particulam extremam partis eius quae a u. 777 usque ad u. 784 legitur, non insignem illam noua sententia sed quae eandem rem non diuersa ratione persequatur, uoluisse numeris distingui. Qui autem putat factum esse hoc loco quod in altera carminis parte quae est ex sapphica u. 741—752 instituerit tragicus, ut breuiore uersiculo finis constaret sententiae, non uidet adoniam ualde differre a glyconeo cum choriambico qui sequitur uersu nec simile quidquam posse e poetis latinis graecisque afferri ²⁾. Accedit ut qui stropham illam effecerunt nec sententiae nec codicum habuerint rationem. Quid enim de Panibus timendum Hippolyto? immo de nymphis procacibus qualem Salmacin expressit Ouidius Met. III 315—328 sqq. intelligenda sunt chori uerba quarum ut lasciuiae signum adderet poeta adiunxit haec: *Panas quae Dryades montiuagos petunt* quae quamquam sunt omnibus codd. tradita atque plenum asclepiadeum efficiunt, aut deleuerunt editores aut cum Gronouio absurde mutauerunt ita: *Panes quas Dryades montiuagi petunt*. Verum appingam quae legi in Rehdigeranis 10 et 11:

Cinget turba licens (liceus, al' licens 11).
Naiades improbe formosos solite (Nayades 11)
Claudere fontibus
Et somnis facient insidias tuis
5 Lasciue nemorum dee
6 — — — — —
Montiuagique panes.
8 Panas que driades montiuagos petunt.

¹⁾ Prorsus deleuit haec uerba *N* (est autem Fabricius Chemnitzensis) editor Lipsiensis a MDLXVI. — De sententia uid. Seneca ep. II 7 9 [19]: dictum Maecenatis . . . „ipsa enim altitudo attonat summa.“

²⁾ Si poeta ut sapphicos adoniam glyconeos pherecrateo ita etiam asclepiadeos uoluisset breuiore uersiculo finiiri, non data erat optio sed adhibendus erat unus glyconeus quem asclepiadeis subicit Horatius in eo metro cui tertio asclepiadeo est nomen.

Post quintum uersum uacuum unius uersus spatium in cod. 10. sed in 11 statim sequuntur eodem uersu comprehensa u. 7 et 8 et *Panas* quidem magno initiali picto unde in archetypo duos fuisse uersus intelligitur. u. 7 omissus in *E* (qui in ceteris consentit cum nostris. codd.) prorsus ut uoluit Lipsius, et Moguntino Delrii. itaque legendum uersu 783 manco:

Lasciuæ nemorum ~ ~ ~ deae
 Panas quæ Dryades montiuagos petunt.

V.

I Iambicorum *dimetros acatalectos* — Ag. 759—74 (Cassandreae sunt, actus tertii f.) satis est nominasse, quum ab aliorum poetarum non ualde differant. Nam in XVI uersibus thesis breuis in sede prima sexies, dactylus in eadem sede semel (764), thesis breuis tertiae sedis semel (764) caesura autem post primum iambum ter facta, nunquam post secundum: post secundi thesin ter decies, post tertii thesin septies, post arsin nouies. Bothium binos uersus in tetrametros non iure congregasse supra indicauius¹).

II *Trimetru* subicitur *dimeter acatal.* Med. 771—786. qui in tertia dimetri sede esse uidetur anapaestus u. 778 *Herculeum* pronunciando in spondeum mutandus est. qui enim Martialis 149 u. 42 eodem modo dicitur conformatus esse: Cum fama quod *salis est* habet, in eo *salist* legendum. Est autem dactylus in tertia trimetri u. 785 *arae tripodas* et 777 isto cinere, in prima 783 *his adice.* anapaestus in prima 785 *sonuistis.* Tertia autem trimetri, quinta dimetri sedes nunquam non habent spondeum

III Idem ille fecit Hephæstionis auctoritate usus et cum Vratislaviensi aliisque codd. (non Rehd. 10 11) consentiens in dimetris catalecticis siue *Anacreonticis* uersibus Med. 849—878. sunt autem XXX uersus, a quorum prima sede iambus, tertia spondeus est exclusus. Caesura autem post primam arsin decies nouies (u. 868 *synaloephe*), decies post secundae sedis thesin atque praecipue in posteriore carminis parte. Spondiaca basis longe frequentior quam anapaestica, quae quater tantum idque in duobus ab initio partibus apparet.

Nam partes siue periodi septem sunt carminis quaternis quinisue uersibus compositae, quarum secunda media ultima, si codicibus fides habenda, non anacreontico sed dimetro brachycatalecto (quod metrum Euripidium appellat Seruius) sunt clausae:

¹) quamquam Behdigerani 10 11 et editio Basileensis tetrametros habent iambicos neque codices illi dimetros in una linea copulatos literis maioribus atque flauo colore pictis distinguunt.

- 857 quis credat exulem?
 865 Gangeticum nemus.
 878 Dux noctis Hesperus.

Ita enim Rehdig. 10 11 Vratisl. alii (ad u. 865 „vocula sic exulat aliquot Pall.“ Gruterus).

Hoc autem graecis legibus auribusque congruum esse non contenderim. graeca certe exempla desideramus. sed etiam latina¹⁾, quare excusandus Delrius qui sic: „Hesperus quod Bernardino placuit uersum facit claudicare.“ Sed diu ante Leodicensem monachum quod Bernardini aetas ostendit, emendare sunt conati quae mendosa uidebantur atque ea iam recepta leguntur in Basileensi editione a. MDL (857 exulantem 865 nemus sic) praeter u. 878 (Hesperugo). Quae non opus erit refutare, quum praeter sic uoculam qua u. 865 conspurcarunt (Gruterus autem si scripsit) sententiam ipsam intactam relinquunt. Hac autem uocula addita quae nihil inter se commune habent coniunguntur. non enim dicturus erat poeta: „Ut tigris cursu furente nemus lustrat, sic Medea iras frenare nescit,“ sed potius „Huc fert pedes et illuc ut tigris.“ Haec igitur unam sententiam efficiunt atque una periodo complexus est poeta: Huc fert — nemus; sequitur alia periodus: Frenare — sequetur. atque periodos istas satis distinctas et separatas uidemus. quarum haec est imago:

$$\begin{array}{ccc} 4\ 5. & 4\ 4.4 & 4\ 5. \\ \underbrace{\hspace{1.5em}} & \underbrace{\hspace{1.5em}} & \underbrace{\hspace{1.5em}} \\ A & B & C \end{array}$$

tres sunt maiores partes quarum prima et tertia breuiore uersiculo finiuntur qui etiam alterius partis Medeam iratam describentis mediam periodum finit.

VI.

Breuiter tantum indicabo cetera quae in his tragoediis inueniuntur metrorum genera:

I *Trochaici tetrametri* (de quibus uid. B. Schmidtii diss. p. 57 et quae dixit in M. Rh. 1862 p. 596 adn.) Phaedr. 1202—12 (Thesei) Oed. 222—32 (Creontis) Med. 740—51 (Medeae). Imparibus sedibus solus tribrachus praeter trochaicum (nam Med. 743 supplicis tribus syllabis pronunciandum). Thesei carmen a Medeae et Creontis in eo discedit ut a prima sede exclusus sit tribrachus qui tertio et quinto loco est frequentior (tertio bis,

¹⁾ praeter Luxorii carmen obscurum atque corruptum ap. Meyer Anth. n. 309: Raro decens capillo Roseoque crine ephebus Spado regius (?) mitellam *Capitis uelo capit*. Quatuor autem qui hanc stropham sequuntur anacreontici pleni sunt.

quinto quater), quum illis ibi desit praeter Oed. 228 (tribrachus in prima sede semel in Oedipo, ter in Medea). Paribus locis anapaestus quater (ter secundo, uid. Med u. 746 supra emendatum a me, quarto semel), dactylus bis secundo, sexto sexies, deest quarto. trochaeum septies in secunda et quarta sede usurpatum (in quarta ter) non admisit poeta in sexta. Incisio constanter post quartum trochaeum.

II. *Dactylici tetrametri s. almanii* (B. Schmidtius diss. p. 58 sq.) HO. 1954—62 (Alcmenae) Phaed. 761—63 Oed. 449—65 (uid. infra ubi de hexametris agetur). Notissimi sunt de Senecae almanii quae dixit Terentianus Maurus: „*in tragicis iunxere choris hanc saepe diserti Anaxus Sereca et Pomponius uide Secundus*“ de quibus quam exposuit G. Richter diss. p. 10 sententiam unice probo. Pomponii uersus Marius quoque Victorinus 2564 P. et Augustinus de musica III 3 seruarunt, quorum alter quum uersus naturam ibi describat ita: „*Jilos hic enim ubique et spondeas et dactylus poni posse praeter ultimum pedem quem metri auctor semper esse dactylum uoluit*“ id Senecae uersibus comprobatur. Sunt autem toti e spondeis (excepto pede ultimo) HO. 1946 1949 (ed. Bip.). Sententia quae in Phaedra 761 sqq. almanii est perscripta paullum immutata iterum exponitur asclepiadeis, ita in carmine III eiusdem fabulae quae stropha asclepiadea complexus erat poeta iterum tractauit anapaesticis. Sed subito profusi hi uersus „*Acceps forma bonum mortalibus*“ et q. s. neque cohaerent cum enunciato cui subiecti sunt neque recte adiungi possunt eis quae sapphici 741—752 erant dicta neque etiam suspicione egent propter exiguum numerum.

III. *Hexametri dactylici* Med. 110—115 Oed. 229—38. In Oedipi carmine a choro cantato quod est a u. 403—506 quum hexametrorum inter partes carminis interpositorum numerus certa lege progredi uideatur¹⁾ 2 3 4(6) 6, turbatus iste ordo semel est uersu 466:

Et sequitur curruus fugientia carbasa delphin

uerum quum quatuor locis noua res incipiat ab hexametris absoluta cui subiciuntur sententia, ille autem uersus continuet ea quae depinguntur almanii 449—65 nec quidquam habeat quo coniungatur cum eis quae sequuntur, non dubito quin ex duobus tetrametris sit deprauatus. Simpliciore quidem ordinis restituendi rationem Gustauus Richter docuit me per literas — coniecit enim ad onio hoc „*carbasa delphin*“ absolui atque finiri illam descriptionem — uerum quominus illius sententiae meam adscribam prohibeor exemplorum similium penuria.

¹⁾ in omnibus autem codicibus sic singuli sese uersus excipiunt: 403 405 404, quem qui cuerterunt ordinem argumentis non satis grauibus sunt usi.

VII.

Iam absolutis de quibus dicturus eram carminum generibus accedendum erat ad cantica illa quae Oedipi Agamemnonisque fabulis interposita legimus. Nam quamquam poetae artem in anapaesticis quoque carminibus quam ille adhibuerit exponendam arbitrabamur, tempus tamen in illa inquirendi non suppetebat et quae de metricis huius generis rationibus nuper exposuit B. Schmidtius sufficere uidebantur. Verum non tacendum est unum artis suae exemplum, de quo postquam luculentissime uir clarissimus Fridericus Haasius *Miscellaneorum philologicorum libri III c. V* disseruit, ad perpoliendam cantici formam pauca quaedam puto adici posse. Est autem Troadum carmen I ubi quae *Hecubae* darentur omnia in libris a u. 102 usque ad u. 116, Gronouius recepta *Et* lectione *cadit et tegit* sic distribuit inter Troades et reginam: *Ch. Soluimus* — ora. *Hec. Complete* — licet. *Ch. Cadit* — latus. *Hec. Iam nuda* — *Hectora flemus*. — Aequabilitatem carminis probe demonstratam restituisse sibi uisus est Fr. Haasius transpositis post u. 85 (puluere turpes —) his uersibus qui sine dubio sunt *Hecubae*:

Complete manus. Hoc ex Troia Sumpsisse licet.

nam quominus restitutam prorsus credamus quum responsi leges ab ipso pronuntiatae prohibent tum etiam dubitatio num recte Gronouius contra codices u. 105 — 116 dederit *Hecubae*. Satis equidem puto transpositis illis uersibus cum *Hecubae* nomine, quod nihil huc pertinet, choro omnia quae inter u. 98 et 116 leguntur continuari, quo duas partes plane inter se respondententes accipimus et sententiis et uersuum numero — nam ne hoc quidem erit neglegendum — sunt autem utrimque XXXII monometri¹⁾:

Hecubae 83 — 97 = *Chori* 98 — 116

Responsionis exemplum initium esto et finis:

<i>Hec. Soluite crinem</i> —	<i>Ch. Soluimus</i> . . . crinem
<i>Hec. Solitum flendi</i>	<i>Ch. Non sum solito</i>
<i>uincite morem.</i>	<i>Contenta sono.</i>
<i>Hectora flemus.</i>	<i>Hectora flemus.</i>

Hecuba igitur postquam u. 64 lamenta edi et iusta Troiae facere iussit mulieres, illae paratas sese dicunt ad lugendum 67—82²⁾ et, quod dixerunt u. 80 „miseramque leua, regina, manum.“ docet illa quid sit faciendum et quomodo lugendum 83—97 et „uulgus dominam uile sequitur“ 98—116. Iam postquam edocuit illa mores modosque plangendi feminae-

¹⁾ delenda est uox *tua* quam frustra monometri partem esse uoluit *Ἀσολονκίανός* iste corrigens sic uersiculum: „exprome dolor *furiōse* tuas.“

²⁾ primi et ultimi uersus sententiae pares: *Non rude* uulgus Lacrimisque nouum Lugere iubes — *Non indociles* lugere sumus, qua de re uid. Haasii uerba.

que dociles se praebuerunt, questus ipse debet sequi. quae querendi partes cui fuerint tribuendae mihi non est dubium, quamquam disputandi non satis perito non contigit ut praecatori optimo sententiam meam probarem. est ea quae Hlades excitauit ad lamentandum quaeque ista docuit: uxor est Priami, Hectoris mater, est regina quae illis extinctis captiua regio decore exuta miserimam Graecorum manibus expectat sortem (cf. u. 861—63), hanc autem tacere nullumque querelae uerbum ore prodere praeter illa externa quibus choro praecit moeroris signa, quum Hlades acerbissimum luctum clara uoce profiteantur, hoc mihi nequaquam possum persuadere.

Et ut poetam quoque rem ita instituisse credam: habes uerba in sequenti parte quae, etsi a feminis illis aliquo modo dici potuerunt, a matre dicta maiorem querimoniae grauitatem tribuant:

Tibi <i>maternis</i>	Ubera palmis	Laniata iacent
Fluat et multo	Sanguine manet	Quamcumque tuo
Funere feci.	Rupta cicatrix.	

Si cui propter codices u. 117—129 choro dantes dubitatio inhaeret: omnino eam tollet Florentini codicis lectio in schedulis a Iacobo Io. Friderici filio perscripta ad u. 117 haec¹⁾: „Chor. *Haec tibi*: scilicet ortum est *haec* Hecubae nomine²⁾ quod postquam interit uersibus 130 131 praepositus est qui cui dandi essent nemo poterat ambigere.

Reginae igitur questus XXX complectitur monometros 117—131, quorum ultimis duobus qui duo chori uersus formam similem habent de Priami fato lamentationem adiungunt, quam postquam sunt persecutae 132—141, praedicare illas sortem regis, qui omnibus pater fuerat, regina iubet et praedicat prior³⁾. Duae iterum efficiuntur partes sententia a qua incipiunt alteri altera respondententes:

Felix Priamus Dicite cunctae Felix Priamus Dicimus omnes.

Sed ualde diuersa agunt ratione regina et feminae: odio illa contra Graecorum duces Atridas maxime Ulixemque commota lactatur quod hos non uidet rex interfectus neque, quae

¹⁾ Iacobus Gronouius: „Vides aliquid deesse, ut infra non lugent Priamum nisi ipso appellato, ita hic: Hectora flemus. Chor. Accipe Hector s. Hector habe ista Tibi.“ Idem: „Fl. *fluat*, *manet*, melius plane ut Med. 808.“ quae recipienda duxi ut etiam infra u. 148 *uidet* (uulg. *uidit*)

²⁾ Similiter in Thy. 1021. *Fugere superi. Atr. At accipe hos potius libens* nomine Atrai non recte repetito in uulgariis — nam deest *At* in Etrusco — particula illa nata, quae, quamquam efficitur hiatus, est omittenda. Alter de hoc loco B. Schmidtus p. 29. Phoen. 347: *Aut. Mitte uiolentum impetum.* Behd. 10: *A. Ante uiolentum impetum* (et tribuuntur haec uerba Antigoniae) Behd. 11: *Nūciq. Arce uiolentum i.* (Nuncii uerba. Coaluerunt propter litterarum similitudinem Antigoniae nomen et imperatius (*Ante*), quo facto, quum deesset personae nota, Nuntio datis per errorem his uerbis coniectura mutarunt *Arce*. Eiusdem fabulae u. 405 in codd. Behd. 10 11 Vratisl. praemittitur *I (I nudum inter cuses.)* quod in ed. Petriana subnectitur uersui praecedenti: *exente. i.* Est autem locustae nominis false positi nestigium, nisi glossam ad p. 403 adscriptam potius haberis. Atque ita personarum signa in errorem duxerunt librarior Tro. 536 (Andr.) Med. 171 (Med.) Thy. 1021 (Atr.) etc.

³⁾ Alio lacrimas flectite uestras. Est in Behd. 10: *Ylio l. f. u.* (gl. *ad ylion*). Conferenda uidentur cum his toles uerba HO. 178 sqq.: „*Alio* nostras Fortuna uocat Lacrimas. *alias* Flere ruinas *Mea* fata iubent.“ cf. 202 Felix felix.

ipsi superstiti sors instat, bellica praeda in triumpho ducetur Mycenis, mulieres chori partes tuentes — quem plerumque poetae mentem exprimere in his tragoediis obseruauimus — libertatem qualem Stoici putabant apud inferos assecutum esse patrem praedicantes sententia quae maxime placebat Senecae claudunt carmen hac: „Felix quisquis Bello moriens Omnia secum Consumpta uidet.“ Sed mirum quod non in Hecubae uerbis animaduersum est bis idem dici:

	Nec feret unquam	150	Non Argolici
147	Victa Graium	et	Praeda triumpho
	Ceruice iugum		Subiecta feret
	— — — —		Colla tropaeis

quorum si priora simul cum istis uerbis quibus succedunt: *Liber manes Vadit ad imos* in antistrophe ponimus, ubi libertatis clara et aperta mentio desideratur, haec uerba: Non ille duos uidet Atridas et q. s. aptiorem ad Hecubae mores sensum accipiunt quam nunc fit, quum eorum uis debilitetur uerbis quae praecedunt.

Sed alia etiam mutatione opus esse carminis pars altera et tertia inter se respondentes et initio et in fine positae sententiis docent quarum ultimae hae partes sunt similes. Haec enim uerba *Felix Priamus* pro epiphonemate habenda sunt ¹⁾ atque repetenda in Hecubae orationis fine ubi, quum eadem sequerentur, facile interciderunt:

Hecubae		Chori	
	Felix Priamus		Felix Priamus
145 a	dicite cunctae	157 a	dicimus omnes
148	Non ille duos uidet Atridas nec fallacem cernit Ulixem,	145 b	<i>Liber manes uadit ad imos nec feret unquam</i>
	— — — —	147	<i>victa Graium ceruice iugum</i>
155	laetis fiet pompa Mycenis: <i>Felix Priamus.</i>	157 b	Secum excedens sua regna tulit et q. s.

Quodsi probabitur totius cantici haec erit imago:

Ch.	Hec.	Ch.	Hec.	Ch.	Hec.	Ch.
30	32	32	30	20	5 20	20

⁴⁾ Ex huius carminis epiphonematibus *Hectora flemus, Felix Priamus*, quibus addere licet formulas has: *Soluite crinem, Soluimus omnes, Dicite cunctae, Dicimus omnes*, nouum etiam argumentum peti potest *monometris* Senecam usum esse.

VIII.

Unicuique tragoediarum ut discernantur quinque partes¹⁾, quibus nomen *actus* Romanum est²⁾, *ἐπεισόδια* Graeci uocarunt³⁾, addita sunt quatuor cantica eorum loco quae *στάσιμα* erant Graecis. et ultimi quidem carminum illorum uersus artissime cohaerent cum actu qui sequitur et eisdem fere aut similibus uerbis indicantur a choro personae in scaenam intrantes quaeque post ea aguntur: *sed quid — hem quid — sed ecce — quae uox — quisnam ille*⁴⁾. quin etiam abiecto carminis metro⁵⁾ trimetris utitur chorus ut Ag. II 4 trim. III 7 tr. Phaed. I 2 tr. quos primo actui adiungendos uidit Gruterus, si typis exprimenda est illa diuisio, II 11 tr. III 2 tr. IIII 2 tr. Oed. I 4 tr. Corrupta autem esse quae quatuor anapaestis addito etiam trimetro nuntiantur Hf. I f.:

Sed moesta uenit Crine soluto
Megare paruum Comitata gregem
Tardusque senio graditur Alcidae parens.

iam inde apparet quod nunquam diuersis metris eandem persecutus est poeta sententiam. neque codices remouent suspicionem, nam in R 10 11 haec sunt:

Tardusque senio graditur
Alcidae parens

additur etiam inter *senio* et *graditur* in R 11 *comes*. anapaestis igitur restitutis ita fortasse legendum:

Graditurque comes Tardus senio Pater Alcidae.

¹⁾ Non eadem est in edd. et codd. fabularum in actus diuisio. nam quum *Hercules* quoque *Oetaeus* in libris impressis sit quinque partita, septem partes sunt in R 10 11 (ceteri quot habeant me fugit) sed illi ipsi differunt aliquantum. in utroque quidem *secundus* actus orditur a choro u. 104, *tertius* u. 233 (ubi secundi initium in edd.), *quartus* u. 706 (tertius editionum) *quintus* (quartus edd.) u. 1131, *sextus* (quintus edd.) u. 1607, sed *septimus* incipit in R 11 u. 1758, in R 10 u. 1940.

²⁾ Horat. A. P. u. 189.

³⁾ Non adscripta sunt eorum signa in codicibus nisi in margine ita ut librarii uel interpretis non auctoris ea esse pateat.

⁴⁾ Vocula *sed* raro sola posita est (Hf. 202), additur uel interrogatio (quis quid quidnam) uel interiectio (ecce en) quare Tro. u. 1000: *Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu* legerim potius *Sed en citato*. cf. HO. 1008 sed ecce Oed. 1604 en ecce. neque etiam *incitatus* de gressu usurpat Seneca qui incitum cursum dixit Thy. 28 citare gressum HO. 513 citare cursus Phoen. 393 citato gradu Phaed. 989 1062 citatum gradum Med. 891 citatis passibus Phaed. 1001. Vocula uero quae est *en* saepissime in praepositionem mutata. ita Phaed. 826 *in scelera* s. *in scelere* omnes mss. praeter *E*, in quo *en scelera!* legitur, et *Melisseum* ab altera manu ita correctum: *en secla*.

⁵⁾ Eodem metro tota res perficitur Oed. IIII 4 glyc. HO. II 12 anap. HO. III 6 anap. HO. IIII 11 sapph. cum adonio.

Prorsus deest talis transitus Thyestae Troadum Medae Oedipi (praeter c. I f.) fabulis, desideratur etiam Ag. I III HO. I, quamquam hic illic carminum finis uidetur abreptus esse uelut Thy. I ubi consentientem habeo Gronouium. Phoenissarum nullum superest carmen.

